

AB

36  $\frac{18}{28}$   
h.





AB 36 <sup>18</sup>  
h, 28

6. 91.

# ORATIONEM ADITIALEM

A. D. XXI. M. IVN. CIOIOCCXCVII.

H. I. Q. C.

RECITANDAM

OBSERVANTISSIME INDICIT

## FRIDERICVS AVGVSTVS CARVS

PHILOSOPHIAE D. ET PROFESSOR PVBL. EXTRAORD.

---

*Anaxagorae Cosmo-theologiae indagantur  
Fontes*

AB 36  $\frac{18}{h, 28}$

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1880

1880

1880

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1880



**B**eneficium sane magnum atque gratum, nec non diligentiori animi contemplatione dignissimum in humanum genus contulerunt omnes ii, quorum vel excellens rerum gerendarum facultas, vel constans animi morumque probitas, vel eximia vis ingenii in eo potissimum elaborauit, vt humanitati vigorem suum ac dignitatem non modo restitueret et stabiliret, verum, quantum fieri posset, eandem etiam summo studio auget. Atque si nos res eorum traditae, qui huiusmodi cura culturaque stirpis nostrae inclaruerunt, tenent iucundissime, illa etiam mentis humanae in altum nitentis tentamina ac pericula, quae, quanta naturae nostrae vires, quanta praestantia, et quam splendida origo sit, clarissime probent, vt intento animo diutius intueamur, aequum est. Quarum animi nostri virtutum illustre documentum reperimus in notione summi et vniuersum omnium rerum auctoris et gubernatoris sapientissimi eruenda, explicanda atque confirmanda. Itaque magno etiam cum studio quaeri coeptum est, quo tempore ad acquirendam illam cognitionem, quae, quanto magis abdita et a sensuum tactu remota est, tanto altior et difficilior ad consequendum videatur, homines enisi sint; quando persuasio ista, quum argumentis stabilita tamquam certo fundamento niti, tum latius propagata regnare coeperit; ecquis mortalium laudetur, qui primus omnium solo suae rationis ductu illam cognitionem, ad quas hominibus accessus patet, arcem summam adscendere, et potiri ea conatus sit. Quo qui possent vellentue suis viribus nisi adspirare, vt in summa illa antiquitate pauci exstiterunt, ita Graecos etiam, et multis a natura beneficiis ornatos, et culturae eximiae adminiculis instructos, constat paulo serius viam, quae eo duceret, inuenisse. Namque omnium fere monumentorum veterum consensus in eo deprehenditur, Periculis demum aetate conceptam de vno numine opinionem quingentis fere annis ante diuinum illum numinis, summis virtutibus instructi, rerumque humanarum rectoris aeterni ac benignissimi, interpretem, natam esse

in animo Clazomenii ANAXAGORAE. Qua in re non illud quidem plane relinquendum videtur, Asia hunc oriundum, primum etiam fuisse, qui hanc eximiam lucem Europae nostrae adtulerit: sed tamen quaenam tanti tamque repentini et admirandi progressus causa exstiterit, quibus adminiculis instructus, quaque via et ratione ductus ad tantam notionem penetrasset vetus ille philosophus, haec omnia certe non minus, imo magis etiam excitare debent cognoscendi cupiditatem. Has ipsas vero quaestiones, per se grauissimas, vt hactenus fere intactas, vel certe obiter tantum et breuiter, nec singulatim et adcuratius pertractatas videmus, ita nec ipsum sententiae auctorem expediuisse verisimile est, quem, quae prima suae doctrinae semina fontesque essent, haud ita memorem fuisse, vt iam de iis, non dico philosophorum more disserere, sed historicorum certe modo exponere posset, facile crediderim. Quid? quod omnino antiquioribus, si qui eorum harum quaestionum examen tentauissent, tam felicibus esse vix contigisset, quam recentioribus, animi humani recessus altiori indagine percontatis, esse liceat. Nolo tamen hoc loco silentio prorsus praetermittere, quae vel Aristotelis 1) crisis, vel Stagiritae commentatoris Simplicii 2) peripatetici syncretismus, vel, inter recentiores, Bardilii coniecturae 3) nequaquam contemnendae, vel Tiedemanni 4) nec in hoc negotio desideranda diligentia et subtilitas, vel denique Buhlilii 5) huic rei adpersae acutae obseruationes, vniuersae tentarint atque admonuerint. Me vero, vt ad istud argumentum animum adpellerem, praeter luculentam eius grauitatem dignitatemque hoc etiam impulit, quod GRAECI recte aestimentur omnia sua nemini fere, nisi suarum virium vigori, suaeque mentis aciei acrius paulatim et in dies cernenti debuisse, quodque adeo illi, qui nostra aetate ab antiquioribus sapientibus populisue monotheismum abiudicarunt, Anaxagoram inter Graecos primum eius auctorem exstitisse concederent. Sed quamquam

1) Conferantur inprimis loci *Metaph.* 1, 3. de An. 1, 2. *Phys. Ausc.* 3, 4.

2) Inspiciendus est locus classicus in *Commentario ad Phys. A. l. 1. p. 106. a. Ed. Aldinae 1526. f.*

3) Inueniuntur in libro egregio: *Epochen*

*der vorzögl. philosoph. Begriffe. Halle 1788. Th. I. S. 36—47.*

4) *Geist der speculativen Philosophie, Marburg 1791. Th. I. S. 327.*

5) *Lehrbuch der Geschichte der Philos. Göttingen 1796. Th. I. S. 216.*

in omni omnino philosophiae historia cautius et a accuratius pertractanda, prudentibus etiam recentiorum criticorum praeceptis, vel in solis vitis et fatis sapientum, vel in opinionibus meris expromendis haerere vetamur, atque potius et dogmata argumentis innixa, et eorum nexum, causas atque origines respicere iubemur, tamen fontium, unde haec petantur, definitionem magis certam equidem saepius mihi visus sum desiderare, qui eos in tali nominatim historia nec uno sensu dici, nec eadem via indagari posse reperissem. 6) Nunc satis sit monuisse, ubi externos fontes ab internis subtiliter discreueris, in illis solis, seu propioribus seu remotioribus, minime adquiescendam, sed hos internos etiam, eosque prae ceteris, quum vniuersum tum singulatim spectandos. In praesenti vero nihil ultra licet experiri, nisi, ut, exemplo quodam huius rei subiecto mentem nostram quodammodo declaremus, et tractandi modum in tali quaestione sequendum aperiamus. Etenim praeter consilium, symbolam quandam addendi ad Psychologiae Historiam, illud etiam nobis erat propositum, ut, oblata hac occasione, periculum faceremus ostendendi probandique, mentis humanae inuenta, vel ore prolata, vel libris tradita, tantum ex ingenio et rerum conditione eius aetatis, qua primum illa prodierint, imo e superiore potius quam inferiore aeuo, temporum diligenter vbique ducta ratione, non modo debere, verum etiam posse explicari atque illustrari. In quo tentamine multis quidem difficultatibus impedito, nec mediocrem diligentiam circumspectionemque desiderante, etiamsi certis vbi-que testimoniis probari nequeat, philosophum Clazomenium vel nonnulla sibi plane non, aut ex parte tantum debuisse, vel omnibus istis adminiculis, quibus e nostro iudicio uti poterat, vere etiam usum esse, tamen non modo id negari nequit, maximis quibusque ingenii humani inuentis, quamuis hoc ipsos eorum auctores illustres fugerit, et suae et superioris aetatis impressa esse vestigia, verum illud etiam concedatur necesse est, genus humanum ad omnes rerum grauiorum notiones reperendas, animoque concipiendas tacite ac pedetentim prae-

6) Quae animo nostro perfectae et absolutae horum fontium indagacionis obseruatur imago, ea, quum vberio-rem descriptionem postulet, quam quae huius loci esse videatur, propediem plenius adumbrabitur

alio loco, ubi istiusmodi disquisitionem et posse magna cum vtilitate tentari, et debere ad certum quoddam consilium, legem atque ordinem regi, demonstrare conabimur.

paratum esse. In Anaxagoreae vero Cosmophysices originibus explorandis noua etiam accedit ratio, eiusmodi indagationis commendatrix, quod iam antiquioribus temporibus, adeoque inter ipsos aequales reperiebantur, qui, quae ab ipso inuenta tradebantur, an eorum primus solusque auctor dici posset, dubitarent. Superest nimirum locus Phaurorini in omnimoda historia 7), quo Clazomenium non ea modo, quae de sole ac luna perscripserat, ab antiquioribus petiisse Democritus cum Platone fertur dixisse, verum quoque τα περι της διακοσμησεως και του Νοου sibi idem Democritus subripuisse contendit. Ad quod crimen eleuandum tollendumque vel meminisse suffecerit, Leucippi illum discipulum omnia ridentem paulisper infestum, certe aliquamdiu 8) fuisse Anaxagorae ἀγλαστωφ. Praeterea, quomodo Anaxagoras ea iam aetate, vbi, praesertim in Ionia, et Graecia proprie sic dicta, illa animi humani facultas et vis, rerum a materia seiunctarum notiones effingendi, contemplandique diutius, videatur haud ita valde exercitata fuisse, ad notionem vnius summique numinis euolauerit, nisi cognitio eius adimniculis, recte non potest intelligi 9).

Iam in ista fontium descriptione liceret forsitan ipsius Systematis, quod eorum, qui philosophiae historiam tradiderunt, opera et studio satis expositum declaratumque sit, narratione supersedere, neque ea, si secure omitti posset, insereretur. Sed in eiusmodi quaestione tractanda lex grauissima obtinet, vt summa fide auctoris placita, eorumque nexum, quanta fieri possit castitate, perspicuitate et integritate exhibeamus alienissimi quum ab omni partium studio et opinione praeconcepta, tum a mala emendandi exornandique veterum doctrinam cupiditate. Huic autem legi obsequendi multo etiam minus gratia fieri poterit, vbicunque vel recentiores in tradendis antiquioris philosophi decretis saepius in diuersas partes discesserint, vel eius dogmata varias admittere videantur formas et expositiones, quum, quae earum vnice vera sit, vel qualis cogitationum series in

7) ap. Diogen. Laert. in Vita Democriti, 9. 34. p. 569. ed. Meibom. Cf. Plato in Cratylo, p. 282. Vol. 3. Bip. et Schol. ad Aristophan. Nub. v. 179.

8) Laudasse enim eundem dicitur ap. Sextum adv. Math. 7, 14. cuius ipse consue-

tudinem olim detrectarat. v. Diog. 2, 14. p. 38.

9) Per se planum est, nunc neque de religionis vniuersae, neque de Monotheismi originibus, verum id vnice agendum esse, vt de Anaxagoreae Theologiae fontibus exponamus.



auctoris animo fuerit, et quibus adeo verbis vsus sit, nisi testimoniis veterum disertis, effici nequeat. Quem vero potius vel veterum vel recentiorum sequamur, quam Anaxagoram, aut vbi omnium eius cogitationum, vt ita dicam, faciem et proprium colorem propius conspiciere possimus, quam in ipsis ANAXAGORAE scriptis *περί Φυσικῆς*? Quorum etsi non omnes, tamen aliquot partes tamquam tabulas e naufragio ereptas habemus, quae ad primum physici illius operis librum pertinuisse videntur, quaeque nec illius discipulis, nec Aristoteli, sed huius interpreti erudito, mille fere annis post Anaxagoram florenti, Cilici illi SIMPLICIO seruatae debentur <sup>10</sup>). Quibus fragmentis colligendis, componendis, castigandis et recte ordinandis quum idem etiam, qui nostra aetate insigniam, et de vniuersa historia philosophiae, et de Parmenidis, quodammodo etiam de Xenophanis reliquiis, meritorum iustissima laude florer, operam se nauaturum significauerit <sup>11</sup>), integram ei hanc curam relictam cupimus. Vbi vero eadem vel breuiora esse, vel lacunas habere videantur, tum demum adeundi nobis sunt fontes, quos secundarios licet nominare, siquidem ipse Anaxagoras, siue discipulis nonnulla in scriptis suis vel nimis coarctata, vel ambigue dicta, vel leuiter tacta, ore tradere, explicare, definire, siue adeo ipse post τῶν Φυσικῶν editionem <sup>12</sup>) quaedam, quamquam pauca, mutare potuerit. Cuius ordinis fontium

10) Pleniorem, certe longiorum locorum, quos Ammonii discipulus in commentariis, fragmentorum veterum philosophorum etiamnum neglectorum plenissimis, ad Aristotelis Phys. Ausc. seruauit, allegationem, quae in Fabricii Bibl. Gr. p. 649. Vol. 2. Ed. recentiss. in Cap. de Anaxagora desideratur, editor haud dubie dabit in Cap. de Simplicio. Mireris Bruckerum, saepius Simplicium adferentem, tamen sua e fragmentis ipsis non hamsisse, quibus primum Meinersius vti coeperit.

11) Vid. quae FUELLEBORNIUS, V. C., sperare nos iusserit de fragmentorum philosophorum quorundam Graecorum collectione

in secunda parte Philosophiae Graecae, quam editurus est, in collectione egregia: *Beiträge zur Gesch. d. Philos. St. 6. S. 167.* Quod vero eorum, quae Anaxagoras ipse scripsisse fertur, tam sero mentio fit, hoc parum abest, quin, an genuina sint, dubitationem moueat. Sed tamen ea vniuersae ad Nostrum pertinere, liquet ex eorum non modo argumento, quod cum testimoniis conspirat Aristotelis, verum lingua etiam, quae concinit cum Pericleae aetatis ingenio. Cf. infra nota 138. sg.

12) De tempore, quando A. hos libros in lucem emisit, quum eius definiendi VV. DD. hactenus nullam curam egerint, quamque

facile princeps auctoritate iudicandus est Aristoteles. Reliquos <sup>13)</sup> eosque seriores ibi tantum potero curare, vbi eos non prorsus contradixisse animaduertero ingenio antiquioris philosophi.

In ipsis vero Anaxagorae sententiis expromendis temperandum mihi quodammodo esse video, quum nunc primaria tantum eius Theologiae decreta delibari, et breuis eorum subiici debeat conspectus <sup>14)</sup>. Hanc tamen Theologiam, quam ipse auctor e sua Cosmogonia aptam et nexam, et huius illam partem esse voluerit, id quod vel ex inscriptione Anaxagorici operis patet, nos etiam seiunctam auulsamque tradere haud possumus. Praeterea, et vtraque nostri physici atque philosophi doctrina arctius iuncta, et ipsis eius verbis, quanta fieri potuit, fide seruatis <sup>15)</sup>, futurum esse arbitramur, vt, quae ille rerum, non modo in sensus incurrentium, verum etiam ab illis remotarum, naturam perscrutando inuenisse, collegisse et copulando procudisse dicitur, clariore luce circumfundantur.

ea quaestio huc maxime pertineat, quod mihi quidem omnino probabile videtur, liceat adferre. Non in Ionia, neque primis statim annis suae apud Athenienses commorationis Anaxagoram eos edidisse, credere iubemur partim eo, quod, turbis belli, tunc temporis quum maxime aestuantibus, agitato ei Athenis tandem otium contigit, partim ea re, quod Empedocles, quamquam Nostro annis inferior esset, tamen prius eo sua edidit. Iam quum ex Bayllii ac Meinersii (*G. d. W.* 1. 724. etsi Diogenis narrationem sequutus est Cel. Wolfius in Prol. ad H. I. p. 69.) computandi ratione Clazomenius Ol. 81. Athenas migrauerit, non ante quinquagesimum aetatis annum, sed post obitum Xenophanis, vel medio fere quinto ante C. n. sec., operum suorum editionem Nostrum adgressum esse, ad persuasionem commendatum est.

<sup>13)</sup> Ad quam quaestionem profecto do-  
lendum est quod nos vti non possumus  
THEOPHRASTI, libris deperditis *περὶ Ἀναξα-  
γορῶν*. v. Simpl. l. I. p. 35. b. Diog. L. 5,  
42. et Suid.

<sup>14)</sup> Plura fortassis suppeditabit nostratibus  
inquisitio Cl. GORSII, cuius ille iam ante hos  
tres annos spem nobis excitauit in libello:  
*über das System des Thalas*, S. 73. coll. p.  
38. 39. vbi etiam se de Anaxagorae Theismo  
plura dicturum, et falsam eorum opinionem,  
qui inuentam vniuersi verique Dei notionem  
illi Physico vindicare laebant, examinatu-  
rum promittit.

<sup>15)</sup> In his vertendis iam Romanus poeta  
linguae suae egestatem accusauit. v. Lu-  
cret. l. 831.

„Anaxagoras igitur, quas nunc quidem res, inquit, huc illuc dispersas dispositasque videmus, hae omnes olim simul erant, et vna congregatae, in vnum quasi aceruum congestae, adeoque inuicem commistae 16), nec non inerti quiete frueutes. Aderant igitur omnes res, quae nunc adsunt et cernuntur, tunc vero earum tantum elementa exstabant infinita, quum quoad multitudinem, tum quoad paruitatem 17), visu propter paruitatem nequaquam percipienda 18), atque adeo aeterna 19). Eadem vero elementa neque augeri vnquam, neque solui possunt, sed suis quibusque numerus semper constat 20). Neque elementorum quidquam oriri, neque interire potest; quidquid enim oriri vulgo dicitur, nihil aliud est, nisi noua commistio, seu disiunctio 21). Neque vero propter summam illam omnium rerum commistionem in iisdem particulis certus quidam color apparebat 22). siquidem iis obscura cum claris, humida cum siccis, frigida cum calidis confusa continebantur. Quid? quod inter se similes erant illae rerum particulae 23), quamuis caeterum diuersae 24), quandoquidem in omnibus omnium rerum partes aliquae exstarent 25).

16) Ἦν ἐμου πάντα Χρῆματα h. e. πράγματα, v. cel. Fischer. ad Phaed. p. 303. n. 14. ed. rec. Ὁμου similiter apud Phercydem v. 59. p. 62. ed. Sturz.

17) Τω πληθει ἀεδοque τω ειδει. Nostri ἀρχαι ὕλικαι sunt ἀπειροι, unde vel minimum, vel maximum nihil quidquam dici potest, quum semper eo vel minora vel maiora reperiantur. Simpl. ad Ph. Ausc. p. 35. b.

18) Οὐδεν εὐδηλον ἦν ὑπο μικροτητα.

19) Illas particulas non αἰωνιους, quod vocabulum tum nondum in vsu esset, sed ἀγεννητους και ἀφθαρτους appellauit. Simpl. p. 36. a.

20) Ἀπαντα ὁμοιομερη dixit διαμενειν αἰδια, secundum Aristot. Met. 1, 3.

21) Serius mutationem, ἀλλοιωσιν nuncuparunt. v. Arist. de gen. et corr. 1,

1. et Alex. Aphrod. h. l. Pseudo-Plutarchus de plac. philos. 1, 17. p. 30. ed. Beck. παραθεσιν nominabat.

22) Οὐδς χρειη εὐδηλος ἦν οὐδεμια, ex quibus verbis alia huic affinis sententia eiusdem explicanda erat ap. Sext. adv. Math. 7, 89. 59.

23) Inerant omnium rerum genera, quibus communes qualitates conueniebant, totumque a parte quantitate tantum differebat, auctore Platone in Phaed. p. 178. Bip. Dicuntur αἱ ὈΜΟΙΟΜΕΡΙΑΙ, τα ὁμοιομερη, ἡ ὁμοιομερεια, των ὁμοιομερειων μιγμα. Simpl. 34. b. 112. b.

24) Ἀνομογενεις. Simpl. addit οὐδεν εοικωτος ἀλληλοις.

25) Ἐν παντι παντος μοιρα εστιν, ap. S. 55. a. et al. loc. Παντα ἐν πασιν. Dion. Hal. Rhet. p. 103, 3.

Ersi autem vnumquodque corpus vniscuiusque corpusculi particulam contineret, praeualebat tamen illud, cuius copia summa esset in aliqua particula 26), adeoque ea, quorum in aliqua re maior pars est, arctissime sunt inuicem coniuncta 27). Nimirum hae res commistae, totum aliquod (ἐν) 28) conficientes, multa eaque diuersa complectebantur, quoniam iis continebantur omnium rerum et germina 29) infinita, omnimoda, maximeque diuersiformia, et modi seu formae 30), hoc est, colores et affectiones rerum 31). At eadem particulae continebantur semper ab Aëre, et (igneo) Aethere, quorum vterque, nullo limite interposito, circumfusus (ἀπειρος), per vniuersum inde latissime expansus atque dissipatus est.“

„Quae quum elementa per infinitum tempus quieuisent, tandem 32) ad ea accessit, inque ea agere coepit MENS, seu Intellectus 33). Est ille ΝΟΥΣ

26) Ὅτι πλείστα ἐν, ταῦτα ἐνδηλοῦνται ἐν ἑκάστῳ ἐστὶ καὶ ἦν. Id vero, cuius plurimae partes corpori insunt, facit eius χαρακτηριστιζόμενον.

27) Ita, vt ne summa quidem vi discerni possint; ap. S. 35. a. lin. 45.

28) Pro ἐνεῖναι ap. S. 33. b. legend. ἐν εἶναι, vti ipse, p. 8. a.

29) Σπερματὰ ἀπειρα. S. p. 8. l. 19' non verterim: semina.

30) Sic intelligo ἰδέας παντοίας, in quibus explicandis desiderare mihi visus sum interpretum diligentiam. Ex illius temporis scriptoribus apparet, ἰδέας vsurpari quidem de cogitandi adeoque sentiendi modis ap. Herodot. 6, 100. at multo saepius de generibus, formis, adeoque figuris diuersis. Locus quidam nomen traxit a falce, κατὰ τὴν ἰδέαν. Thuc. 6, 4. Ibidem dicuntur de bellorum generibus 1, 109. 4. 55, Species apud Eurip. Bacch. 471. est. Plato

demum significationem hodiernam diligentius definiuit.

31) Χροαὶ καὶ ἤδοναι.

32) Hanc transeundi formulam, quam in ipsis Anaxagoreis Fragmentis desideramus, desumsi partim ex Aristot. Phys. A. 8, 1, partim ex Diog. 2, 6. in. qui ipsum adeo Anaxagoram scribentem effert: Πάντα ἦν ἔμμου, εἶτα Νους ἐλθὼν αὐτὰ διεκοσμήσε. Ita et Sext. adv. Phys. 1, 6. pro quo Origen. ἐπελθὼν, Euseb. Pr. Ev. 10, 14. ἐπέελθων. Alex. Aphr. ad Met. 12. p. 372. Nostrum dixisse ait, „intellectum ab initio quodam haec discernere fuisse exorsum.“ Io. Philopon. in Met. p. 4. b. „Cogitavit mens secernere ipsa.“

33) Τὴ ὄλη, s. τοῖς ὅλοις s. τ. πραγμάτων s. τ. οὐσίῳ ΝΟΥΝ ἀπασθησῆ, vt referunt Plut., Clem. Al., Diogenes, et S. 38.

n ulli particularum admixtus 34), sed solus seiunctusque ab omnibus, et seorsim existens 35), neque aliorum vim sentiens 36). Nihil cum aliis commune habet 37), adeoque nec comparari cum aliqua re nec immutari potest, sui tantum similis, sibi que semper constans tum quoad magnitudinem tum quoad puritatem 38). Est adeo purissima natura 39), omniumque rerum tenuissimum et subtilissimumque 40). Infinitus est plurimumque valet, nec eius potentia circumscribi potest finibus, siquidem summa vi polleret 41). Quaecunque animam ducunt, siue sint maiora siue minora, in omnia vim suam exserit 42). Solis suis viribus, et solo suo vitur arbitrio, suamque propriam potestatem ha-

34) ἈΜΗΤΗ, μεμιγται οὐδενὶ χρομηατι, το Ἐν ἀμικγες. Ar. Met. 1, 7. Ἀκχρατον ap. Plut. Ἀπλουν ap. Arist. de An. 1, 2., quo verbo et Parmenides vtiebatur.

35) Μενος ἔστιν αὐτος ἐφ' ἑωῦτου, plane vt Herodot. p. 699. 66. et 634. b. Wess. eodem sensu.

36) Ἀπαθη. Hoc addit Arist. Phys. 8, 5., in quo tamen loco Vir acutissimus VATER in egregiis Vindiciis Theologiae Aristoteleae p. 39. Aristotelis et Anaxagorae sententias, inprimis de νοφ ἀκινητης, videtur commiscuisse.

37) Μηδενὶ μηδεν ἔχει κινουν. Aristot. ῥδ μεπεχόμενου ὑπ' ἀλλων. S. 8. b.

38) Νοος δε πας ὁμοιος ἔστι: και ὁ μεζων και ὁ ἑλαστον. In his non alium sensum deprehendo, quam hunc, eundem semper manere natura sua, siue in magnis siue in exiguis appareat.

39) Καταρατατον. Apud Anaxagorae discipulum, Tragicum in Med. 373. καταρατον Aetheri tribuitur, in Hippol. 1120.

libertatem ab animi commotionibus indicat: hinc iuturbatam, nec vlla re commotam, et ab omni materia remotam mentem intellexerim.

40) Δεπτοτατον. Id quidem iam ab Homero ad animum (μητιν. Il. 23, 590.) transfertur, ab Eurip. vero etiam ad νοον Med. 529. et subtilem, acutam expeditamque describit mentem. Schol. ibi ἔξω.

41) In hunc modum το ἀπειρον mentis accipio, nec ab illis Nostris verbis magnopere diversum ἔσχυει μεριστον. S. 33. b. 38. Confirmari hoc potest veteris interpretis Hesiodi neglecta explicatione: εὐρεια τις και μεγαλη δυναμις. Ed. Heins. p. 261.

42) Παντων, ἑσα ψυχην ἔχει, κρατει Νεος, s. ap. Simpl. ad Ar. de An. 1, 3. p. 63. b. παντα est δημιουργων. Ex hoc vero loco non modo illud clarum fit, quo sensu vitae auctor in hominibus reliquisque animantibus cogitandus sit, verum hoc etiam ap. Platon. in Grat. δια παντα ἰων. p. 263. T. 3. Bip.

bet, nec vlla causa, nisi sua voluntate ductus decernit 43). Maximam idem habet cognoscendi vim, omniumque rerum pollet cognitione 44): nouit enim, quae vel commixta vel seiuncta vel disposita erant, quin praeiudes, qualia futura sint olim. — Iam Mens illa rexit elementorum illorum circumuersionem, ita vt omnia penitus circumagerentur 45), non sine certis legibus adeoque consiliis 46). Et initium fecit rerum agitandarum a parvis, quae quo magis mouerentur, tanto eorum plura deinceps agitabantur, id quod non sine vi et celeritate fiebat 47). Illa vero circumactio necessario effecit etiam separationem. Tum enim disiungebatur rarum a denso, calidum a frigido, lucidum ab obscuro, aridum ab humido. Neque igitur omnia omnino admiserunt separationem, siquidem non simile a simili sed contraria tantum seiungebantur 48). Neque vero quidquam omnino erat, quod multa illa elementa circumactionis ope separaret, praeter Mentem. — Porro, qualia futura essent illa, nimirum et qualia fuere, et quaecunque nunc sunt, et qualia futura sunt, omnia constituit et disposuit Mens, adeoque perturbata in ordinem redegit, totumque formauit 49). Neque solum instituit eam,

43) Anaxagoras ἀποκράτης dixit ap. S. 37. b., Plato, eius sententiam repetens, l. l. ἀποκράτορα. Verbum illi aetati maxime proprium, Euripideum, Thucydideum. Ap. Eurip. mentis solius est epitheton. v. Androm. 482. 5. In Thucyd., vbi Schol. ἀυτεξουσιον explicare solet, vel de libertate ipsi τυχη imperante (4, 64.) vel de λογισμω s. ratione sponte agente (4, 107.) vel sensu politico occurrit, e. c. το παν, αυτοκρατορσι διαθεεται (v. I, 126. coll. 6, 18. 5, 45.) Huc quoque referam αυτοκινητην illud ap. Lactant. Inst. I, 5, 18.

44) Γνωμην περι παντος ισχει, παντα εγνω N., habet το γνωστικον, cf. Arist. de An. I, 2. Παντα νοει εξημενωσ. Simpl. ad l. 3. de An. p. 63. b.

45) Διτιος της περιχωρησεως (verbum Parmenideum), της περ. της συμπασης N. εικρατησεν.

46) Ένεκα τινος h. e. non temere sed consilio inductus, addidit. Arist. Met. 12, 10.

47) Περιχωρουντες αποικρ. απο βιης και ταχυτητος ap. S. p. 8. a.

48) v. S. 38 a. l. 19. et 37. b., nunquam τυχευτα απο τυχευτων.

49) Διακοσμησε — cen imperator, qui aciem διακοσμειν ap. Hom. Il. 2, 125. dicitur, vnde διακοσμησιν dixit ταξιν aliquam. S. 37. b. Similiter Diolorus Sic. in Hist. initio, ex mente Anaxagorae de providentia dicit: αστρων διακοσμησιν και τας των ανθρωπων φυσεις εις κοινην αναστασιαν συνθεισα.

quae nunc obtinet circumactionem astrorum (solis, lunae) aëris et aetheris, quae tum separabantur, verum omnia etiam quantacunque et sunt et erunt 50). Quemadmodum antea Mens operabatur, ita neque nunc agere omnino desinit 51): manet enim omnium rerum ordo per reliquum tempus sub Mentis praesidio 52).“

Quas illi ΝΟΝΙ ab Anaxagora tributas virtutes ipsi auctoris verbis haecenus exposuimus, eas iam separatim spectatas sigillatim enumerare conabimur. — Primum igitur est ille Intellectus principium vel causa mouens, h. e. in gyrum torquens inconditi vniuersi et quieti magnam molem 53). Deinde eundem statuit esse principium vel causam se iungentem, h. e. magnam istam commotionem conversionemque orbicularem ita moderantem, vt ne contraria amplius coniuncta, sed, quantum fieri poterat, dissociata essent 54). Tum visum Clazomenio est, Mentem esse principium vel causam ordinantem, h. e. separandis eam rerum elementis effecisse, vt apte composita atque constructa corpuscula et vniuerso et singulis corporibus afferrent ordinem, praestantiam, atque ornatum 55). In qua ego tamen sententia duplicem διακοσμησιν cum aliis reperire

50) Περιχαρῆσιν, ἢν ἄν περιχωρεῖ, Ν. διεκοσμησῃ, et ap. S. 35. b. καὶ ὅποσα ἔστι καὶ ἔσται, πάντα διεκ. Ν.

51) Ὁ δὲ Ν., ὅσα ἔστί τὲ κάρτα, καὶ ἄν ἔστιν. Obscurior hic locus apud Simpl. 33. b. l. 47. emendatrice egere videtur manu, forsitan leg. ἴσα ἐψησῃ, κ. κ. ν. ε., i. e. quaecunque constituit, haec sane etiam-nam sunt.

52) Simplicius p. 33. a. hoc secund. Anax. efferre videtur his verbis: διαμενεὶ Κόσμος (etsi serius hoc de mundo verbum) λοιποῦ ὑπο τοῦ Ν. ἐφεστῶτος διοικουμένου τε καὶ διακρινόμενου. Eodem modo Mentem Anaxagoram Φροῦρον εἶναι dixisse perhibet Suidas V. Anax. 1. p. 172. Klüst. Cf. Plat. v. Pericl., Diog. 2. 6.

53) Hoc veteres post Anax. ita disertius: Ἀρχὴ (S. αἰτίου) Κινήσεως. (Plat.), adeo-

que hoc sensu etiam Ἀ. τῆς γενέσεως. S. 6. b., κινήσει ἁποικουμένους et κινήσας πρώτος ap. Arist. Phys. 8. 1. 9. κινῶν το παν.

54) Διακρίσιν (Ar.) το ἐν S., ἀποικρινῶν τὰς Ὀμί., ὃ τὰ πάντα διακρίων καὶ διακοσμῶν, Plut., ἐκκρίσεως πάσης αἰτίας.

55) Ὁ Διακοσμῶν, Socr. ap. Pl. in Phaed. p. 222., cf. Crat. p. 263. Bip., κοσμῶν πάντα τὰ πράγματα. Aristot. Met. 1. 3. αἰτίος κοσμοῦ κ. τ. τάξεως πάσης, vbi opp. ἀποματῆ κ. τεχῆ. Eo tantum sensu a Simpl. dici poterat κοσμοῦς ἐγενήσθη p. 6. b. et 33. a. Stob. I, 11, p. 298. Heer. πάντα διατάτταμενος. Euseb. ἐκ τῆς ἀταξίας εἰς τάξιν ἤγαγεν. Perspicue satis illa complexus est fere omnia Hieronias in Διακοσμῶν, §. 6.

non potui, alteram illam omnia vere separantem, alteram vero mente tantum delineatam (ἀποθῆτην καὶ νοητήν). Hic enim vel Eleaticorum sententias Nostro affinxisse, vel seriora ac sua intulisse videntur Aristotelis interpretes 56). Sed non modo talem in origine rerum paratarum Mentem se gessisse statuit Anaxagoras, verum eandem etiam ordinato mundo tamquam praesidem et custodem praefecisse videtur, quae, cur vniuersi ordo et egregie conseruetur, et multis modis varietur, caussa sit 57).

Iam, quum et antiquiorum et recentiorum, qui Anaxagoreae Theologiae non nihil alieni suiueque vel imprudenter adperserint vel audacius affinxerint, non paucos possis deprehendere, quicumque illam Mentem vel pluribus verbis efferre, vel nomine insignire, vel naturam eius declarare voluerit, is, vt et maximam adhibeat prudentiam, et certos intra fines se teneat, admonetur. Iis, quae supra e testimoniis fide dignissimis de Anaxagora adtulimus, probe consideratis, primum facile intelligetur, quatenus ille Νους et quo sensu vniue dici queat non modo ἀρχὴ καὶ αἰτίας πάντων 58), sed etiam a serioribus 59) δημιουργικός καὶ κοσμοποιός, a recentioribus autem omnium rerum auctor et creator totius mundi, vis genetrix seu

56) Cf. Simplic. p. 33. b. coll. p. 106. a. sq. Locus Anaxagorae sane obscurior, quem in hanc rem laudauit Meiners. *Gesch. der Wiss. Th. 1. S. 669.* quemque explicatum iri ipse desperauit, non pertinet ad illam διακοσμητικόν. Recte quidem iam S. p. 34. a. iudicabat locum memorabilem diligentiori quaestione esse dignissimum, quam nihilominus etiam nunquam desiderat. Forsan huic loco lux quaedam eo adfundetur, quod auctorem ibi non de ortu, sed de conseruatione mundi dicere statuamus, quippe qui hominum vel recens natorum, vel in longinquis, forsitan septentrionis regionibus, tum vulgo fabulose descriptis coelestium, qui iisdem coeli terraeque beneficiis, quibus omnes alii fruuntur, ratio-

nem habuisse videatur. Sed ista hic tantum obiter.

57) Hoc equidem non temere colligere mihi videor vel ex ipsa Mentis descriptione, in fragmentis obuia, vel ex natura του νοου eodem fere modo ab omnibus, qui tum erant, Graecis cogitata; de qua re deinde. Proviuentiae notio est etiam in illo Diodori loco. Accedit Aristotelis auctoritas, qui eum dicit το αἴτιον του καλως καὶ ὀρθως de An. 1. 2. In Phys. A. 3, 4. το κυβερναν additur. Cf. S. p. 5. b.

58) Cf. Plato et Aristoteles passim.

59) v. Simplicius ad Ph. Ausc. p. 106. etrel.



effectrix, vniuersi opifex et aedificator 60). — Ad illam deinde quaestionem, num Anaxagoras agens illud principium *DEVM* vel ipse dixerit vel nobis nominare concesserit, rectius nunc poterit responderi. Mihi quidem pluribus de caussis nata est persuasio, ipsum *Clazomenium Dei* vocabulo plane non vsum esse, quamquam hoc nuper etiam a viris doctis repetitum videam 61). Quin eum hoc ob humiles, quae tum obtinebant, Dei notiones non potuisse, quo ulterius progressa fuerit nostra dissertatio, eo clarius intelligetur. Et quamquam, quatenus Anaxagoras illum *Noou* summa et perfectissima intelligendi facultate auerit, nos, qui eandem numini diuino tribuamus virtutem, eum recte possimus appellare Deum, tamen haec virtus ad plenam perfectamque Dei notionem, qualem hodierna philosophia postulat, minime videtur sufficere. Ipsum *Dei* nomen, a *Nostro* non vsurpatum, serius demum sensim sensimque in *Physici* nostri *Cosmotheologiam* irrepisse, nec leve in critico eius sententiarum examine ad obseruandum, nec, diligentius locis veterum excussis, difficile ad aperiendum esse arbitror. *Socrates* 62) *Anaxagoram* in mente illa *δαιμονίαν ἰσχυρὴν* cogitasse putabat: neque multo clarius loquitur *Aristoteles* 63) *Noou* appellando τὸ *θεῖον*. *Cicero* 64) nec ipse mentem illam diserte Deum, sed tantum diuinam dixit. Primus fuit *Pseudo-Plutarchus* ille, qui 65) mentem cum Deo coniungeret, etsi nec hic eam simpliciter Deum nuncupauit, nec eum sequenti *Themistius* 66), atque *Stobaeus* 67). *Aristotelis* vero interpretis, saepius laudatus 68), iam rationem quandam, cur recte τὸν *θεῖον* μεταχειρῆται dicatur, adtulit, quod partim principium sit adeoque venerandum, partim neque ortum sit, neque interire possit. — Addiderunt denique *natura* e mentis definitionem, eamque aëream vel aetheream *Nostrum* cogitasse voluerunt, ideoque *Anaxagoram*, quod *Noou* cum *Aëthere* per-

60) v. Meiners *Hist. doctr. de U. V. D.* p. 251. 253. 362. 365. *Gesch. d. W.* 1, 672. Tiedemanni *Geist der sp. Ph.* 1, 324. 339. et 328. *Venturini Ideen*, S. 57.

61) Meiners *G. d. W.* 1, 671. et Tiedemann. I. I. 1, 327. Qui ab hoc eam in rem laudatur *Simplicii* locus, nihil quidquam diuini nominis habet.

62) Ap. *Platonem*, p. 261. in *Phaedone*.

63) *Phys. ausc.* 3, 4. extr.

64) *Quaest. Acad.* 4, 37.

65) *De plac. ph.* 1, 7 p. 22. Beck.

66) *Or.* 26. p. 317. C. Ed. Hard. *Noou καὶ θεῖον πρῶτος ἀπαγαγόμενος τῆ κοσμοποιῆα.*

67) *Lib.* 1. C. 3. p. 56. Heer. *Noou κοσμοποιῶν τὸν θεῖον.*

68) *Simplicius ad Ar.* 1. 1. 107. a.

mutauerit, et commiscuerit, adeoque fere corporatum reddiderit, vituperarunt 69). Ab ista tamen criminatione equidem Anaxagoram meum non difficili negotio putem posse liberari. *Nous* enim, quum, vt luculenter apparet ex eius notione ac descriptione, prorsus ab ipso cogiretur purus (*ἀμικτός*) et scorsim plane existens, qui poterit cum aethere commutatus aut materialis dici? Tum aetherem ipsum ad rudem illam rerum indigestarum molem (quod chaos nominant) maxime pertinere, càmque ab eodem cinctam, simul quoque cum infinitis illis rerum particulis, quas continebat, agitari voluit: sed *Nous* nullam omnino vim alienam sentit. Poterat vero iam ipse ille Platonis locus aliud docere, vbi Socrates Anaxagoram, quod praeter Mentem 70) alia etiam, veluti principia, nominatim *αἴτιας, ἀέρας δὲ καὶ αἰθέρας* induxerit, vituperat. Quid, nonne omnis ista criminatione plane nulla esset, si Anaxagoras Mentem nihil aliud quam Aethera esse, vel illam aethere constare perhibuisset? quum alterum alteri opponat, vt caussarum vltimam proximam 71). Accedit vero Anaxagorae de ipsa Aetheris natura sententia, connexa illa ex eius mundum vniuersum cogitandi describendique ratione atque consuetudine. Hinc quaerendum fundamentum eius sententiae in illo ipso loco 72), vbi astronomicas rationes exponere videtur. Ibi, postquam dixerat, densum, humidum, frigidum atque tenebrosissimum (qualem veteres aëra cogitabant) ex aëre collectum secretumque, et inde conflatam hanc nostram terram esse 73), addit eiusdem circumuectionis vi tenues, calidas et siccas particulas in remotiorem Aethera excerni 74). Namque vt densum illum obscu-

69) Conferantur post seriores illos (Plut. l. l. 4, 2. Theodoret. Serm.) V V. D. D. iudicia, qualia licet; animaduertere in Bruckero H. Ph. V. t. p. 513. Meinersio l. l. 1, 670. in nota. p. 672. et 683. Tiedemannio l. l. p. 328. 329. 331. 332. Buhlii l. l. 1, 217.

70) Phaed. p. 223. Bip. ὄρα ἄνδρα τῆ γῆ οὐδὲν χρωμαίνου. De Anaxagorae vero Mente ibidem Socrates Platonius cum ironia et pro more satis ambigue loquitur; quod quum non animaduertissent interpretes, vim illius loci magnopere debilitarunt.

71) Caeterum quam vera sit illa vituperatio, nunc examinare non licet. Optime, vt mihi quidem videtur, hac de re Baylius in Dict. v. Anax. nota R.

72) Ap. Simpl. in Phys. Ausc. p. 38. b.

73) Ἐνθαδὲ συνεχωρήσεν, ἐνθα οὐκ ἦ γῆ, at terram voluit ex aqua, in nubibus contenta, secerni.

74) Ἐξέχωρήσεν εἰς τὸ πρῶτον τοῦ αἰθέρος.

rioremque aëra nubibus adfinem esse existimavit, ita et aethera ad summas coeli regiones, priores physicos sequutus, euexit. Purissimum autem subtilissimumque aethera circumuectione et fieri et manere igneum 75) finxit, eamque ob caussam stellis ab eo candentes veluti scintillas vibrari, et eius aestu multa, veluti fulmen, deiici putauit 76). Iam in Aristotelis locis 77) nihil inuenio nisi hoc, errare Anaxagoram, quando aethera, qui plerumque sedes Deorum habebatur, ignem esse existimet: sed aliud Aristoteles etymon sectabatur, atque Anaxagoras, quem, ubi aetheris vocabulo ignem significauerit, etymologiae ratione ducta, aetheris vocem ab vrendo fulgendoque deriuasse, e Simplicio 78) probare possumus. Quae sententiae et confirmantur multis Euripideis locis et explicantur. Quod omnino non modo multa ex Anaxagorae placitis in Euripidis fabulas, vt egregie ostendit Valkenarius, fluxerint, verum etiam non pauca ad doctrinam Clazomenii sapientis illustrandam apposita peti possint e scenici Atheniensium philosophi tragoediis, haud ita difficile ad declarandum est 79). Namque non modo in Phaëtonte aethera ὑγρὰς κρησεως expertem facit, verum profundi etiam aetheris ἀβατον Φως cingere terram docet 80). Ex his vero, quae hactenus in hanc rem adtulimus, puto iam

75) Hinc secundum Stob. 1, 2. p. 508. docuerat, aethere rapide commoto lapides de terra sublato et adustos esse: id quod eius sententiam de lapide coelitus delapso, quae physicis etiam obseruationibus firmata esse potuit (cf. Boettigeri elegantem disp. *Was ist von den Steinen zu halten, die vom Himmel fallen*, D. Mon. 1796. Aug.) luce quadam videtur circumfundere.

76) Arist. Meteor. 2, 9. Egregie igitur poterat Physicus vano τῶν μετρωμένων metu Periclis animum, Plutarcho teste, liberare. Vnde illustrari poterit Luciani lepidissimus ille locus de Joue, fulmen frustra in sui negligentem Anaxagoram vibrante. v. Timon.

77) De Coelo 1, 3. coll. Meteor. 1, 3.

78) Ἄπο τοῦ ἀλθειν. S. ad Ar. de Coelo l. 1. p. 27. b.

79) Eiusmodi loca deinde afferentur. Nunc sufficiat monuisse, Tragicum, obseruante Valkenario (in Diatr. ad E. Hippol. p. 48.), aetheris αἰθρου nomine Jouem significare, id quod e Fragm. I. inter incerta (p. 480.) apertum esse videtur: quamquam in eo sibi constitisse negari possit Euripides, quippe qui Baech. 291. sq. partem aetheris terram ambientis a Joue raptam dixerit. Verum haec optime possunt conciliari ope loci, Anaxagorearum sententiarum plenissimi, in Chryssippi fragm. 7. p. 435. Cf. et Plato Rep. 3. p. 272. Vol. 6.

80) Hoc Phoen. 816., illud in loco inter fragm. p. 463. n. 7. quocum cf. Vossii explicationes (*Myth. Br. 2, 177. 178.*), qui vero ibi laudatur locus Plut. de p. ph. non 3. 12. sed 2. 8. reperitur.

clarius apparere, Nostrum de substantia, quae dicitur, mentis ipsius non magno-  
pere cogitasse, id quod ei vix verti poterit vitio.

Expositis iam atque confirmatis Anaxagorae nostri sententiis, via ad prima-  
rium nostrum consilium explicandum, fontesque huius doctrinae quum iusto or-  
dine indagandos, tum ad certorum testimoniorum fidem describendos, munita  
esse videtur. Quum vero vel ex iis, quae de Anaxagorae decretis delibauimus,  
et ex mutuo eorum aptissimoque nexu ille vigor, illa acies animi sua sponte  
agentis, suaque vi omnia inaequentis, qua Graecorum natio illius etiam aetatis  
excellenter polluit, clarissime eluceat cognoscique possit, quin ante omnia et vni-  
terse et sigillatim de internis fontibus agendum sit, dubitari non potest. Ita-  
que nunc primum eo occupati, vt, quid sibi ipse Anaxagoras proprioque in-  
genio maxime debuerit, declaremus, non potius vitam eius et fata narrando ex-  
ponemus, quam quae ad animi eius indolem, culturam et mores pertineant, et  
ductas inde rationes, tamquam prima omnium fundamenta, disserendo explica-  
bimus. Quomodo enim nisi ab his internis profecti vel eius ratiocinia certius pe-  
netrare, et concludendi modum pressius sequi, vel certiores fieri de systematis  
finibus et fundamentis, vel reconditas omnes causas, quae in istas eum cogita-  
tiones impulerint, et ista via duxerint, expiscari, vel denique intelligere quea-  
mus, quomodo, quaque via per hanc cogitandi atque sentiendi rationem atque  
consuetudinem, quae maxime ei propria, et ad res inueniendas nata fuisse videat-  
ur, ei contigerit ad meliorem omnium illorum rerum cognitionem peruenire?  
Itaque qualis eius animus, quae cuiusque facultatis, et per se, et cum reliquis  
spectatae mensura atque vsus, quae vires praeualuerint, quae videantur quieuisse,  
quae praesertim phantasiae cum mente ratio intercesserit, et vtra earum pollent-  
ior, quo voluntas inclinaret, quibus studiis seruerit, quo animo affectus ad me-  
ditandum accesserit, qualem se per omnem vitam gesserit, quam sobrii circum-  
spectique iudicii fuerit, denique quid omnino ab eo iure potuerit expectari, de-  
clarandum est. Ad quod consilium peragendum, quoniam, quae historia suppe-  
ditat, adminiculorum hand ita magna copia est, quae sat esse videatur, profecto  
quidquid vllius in rem nostram vsus repertum fuerit, oportet adhiberi. — Ac  
primum quidem videamus, qualem vim in Anaxagoram, qui temporibus nomi-  
nis Graeci nobilissimi vueret, aetatis suae ingenium habuerit, et quem ille et

suis et alienis se praebuerit. Patriam Ioniam, olim iam Lydorum regi ignaue succumbentem, diuitiis et mollitie diffluentem, tum satrapum superbia oppres- sam, denique illius Aristagorae dementibus consiliis Persarumque vi varie vexatam Ille, quamuis honesto loco natus opibus abundaret, tamen popularium suorum Pythagorae, Xenophanis, Democritique aequalis exempla sequutus sponte reliquit, postquam agros suos gregibus depascendos commiserat. Illud ipsum autem veteres 81) consentiunt fecisse eum ὑπ' ἐνθουσιασμοῦ, quo omnia postposuit dis- cendi quaerendique diuinae delectationi. Pericula et mala, quae magno illi Graeciae de sua libertate cum Persia certamini adiuncta erant, poterant quodam- modo etiam ad eius animum fingendum valere. Ex itineribus redux in patriam factus cum opes suas perditas videret, dixisse fertur, nunc se demum saluum esse. Cui dicto quemcunque sensum subieceris 82), confiteare necesse est, ex eo elucere illam eius a pluribus veterum collaudatam μεγαλοφροσύνην animumque elatum, nec fragilium bonorum valde amantem. Eadem animi constantia inflic- tam amoris paterno filii morte nunciata plagam ferebat, illoque responso, morta- lem se genuisse, dolorem suum consolabatur 83). Facile cum his coniungi pos- sunt veterum testimonia, quae eum seuerum moribus adeoque ἀγλαστον fuisse dicunt 84). Quae animi indoles et insigni corporis decore atque dignitate, et eloquentiae haud artificiosae neruis sustentata 85), quomodo vel alios ferire atque commouere 86) vel ab aliis, praesertim Athenis iam ad mollitiem inclinantibus, tamquam exemplum illustrissimum 87) spectari potuerit, facile intelligitur. Ana-

81) Cic. Tusc. Q. 5, 39. Diog. 2, 6.

82) Explicem hanc Valerii Max. (8, 7.) narrationem vel ex alia eiusdem (7, 2.) tra- ditione, secundum quam eum Noster beatum plerumque professus sit, quem ex miseris constare alii censeant, vel ex illa Ioniam tum satis pervagata sententia, nobilissimo Poly- cratis Samii exemplo confirmata: exemtum infortunio esse neminem, quamdiu ei fortuna faueat; cum quo Solonis etiam coram Croeso illa de Deorum inuidia disputatio conferri potest. (v. Herodot. 1, 32. 3, 46.

7, 46. et Garvium praeclare disserentem in *Versuche über versch. Geg. 2, 51.*)

83) Egregie et hunc sensum explicat ae- qualis Artabani illa de vitae breuitate sen- tentia ap. Herodot. 7, 46. p. 532. Wess.

84) Cf. Aelian. V. H. 8, 13.

85) v. Plut. in Pericle.

86) Athenis sub finem vitae expulsus Lampsaceni liberaliter exceperunt, araque condita mortuum honorarunt. Arist. Rhet. 2, 23.

87) Pericles certe et Euripides ad eius se

nagoras vero quum in eorum numero fuerit, qui a regendis ciuitatibus alieni 88) totos se ad rerum inuestigationem transferrent, non defuerunt, qui, quod nimium temporis et operae rebus contemplandis impendisset, ei exprobrarent. Quod negotiis rebusque ciuilibus non vacaret, hoc inprimis offendisse Graecos, vel e Comicatorum dicitur manifestum est, et inde a Socrate illo 89) atque Platone 90) fuerunt, qui eum non in *Φρονιμοις*, quia non potius, quorum vsus in promptu sit, quam abdita, difficilia et altiora quaesiuisset, verum tantummodo in *σοφοις* vellent haberi 91). Sed haud ita difficilis est eius defensio: namque ut in eo sola religionis a vulgari diuersitas, minime vero vitae ratio adcurari potuit 92), ita etiam ad illas quaestiones hoc studio incubuit, quod eum humanitatis sensu nunquam exueret priuaretque: id quod inde etiam elucet, quod sub extremum vitae tempus singularem curam infantum ageret, eorumque tenerrimum proderet amorem 93). Praeterea iidem etiam illi Hegesibuli filio το *ὕψιλον* atque vires idoneas vel ad contemplanda sublimia, vel ad quascunque res agendas tribuerunt, ac virum summum, maximaque grauitate et ingenii gloria insignem praedicarunt 94). Atque Periclem illum et eloquentia et reipublicae gerendae prudentia eo tempore Atheniensium facile principem constat philosophi nostri non modo familiaritate delectatum, veram etiam institutione vsum esse: ut, qui

exemplum composuisse videntur. Sic, ut hoc vnum moueam, *μισογελος* vterque eorum erat veterum testimoniis.

88) Cic. de Or. 2. οὐ *Φροντιζῶν τῶν πολιτικῶν*. Diog. 2, 7.

89) Quem iste *τὸν μεγίστον Φρονουῦντα ἐπὶ τῷ τὰς τῶν θεῶν μηχανὰς ἐξηγεῖσθαι* dixerat, eundem *παράΦρονειν* censuit apud Xenoph. Mem. S. 4, 7, 6.

90) Ibi inter *μετεωρολεσχῶν* seu *μετεωρολογίας ἐμπλησθεῖς*, i. e. coeli obseruationi paene nimium intentos refertur, v. Hipp. mai. p. 5. et 8. Vol. 2. Phaedr. pag. 370. Vol. 10. et Sisyph. p. 235. V. 11. Bip.

91) V. loc. memorabiles in Aristot. de Morib. 6, 7. coll. Eudem. 5, 7.

92) Cf. Hermippus ap. Diog. 2, 13. Themist. το *δικαιον* ad eum transfert. Orat. 2, p. 30.

93) Mortis suae mensem ut pueri quotannis ludentes et vitae munere laetantes agerent, instituit, v. Diog. 2, 14. et Plut. in Polit.

94) In Phaedro l. 1. In Hipp. mai. autem, vbi Sophista quidam eum iacturam omnium bonorum aegre non ferentem vituperat, auctor haud dubie Sophistarum magnificentiae studium perstringere voluit. Cic. Ac. Q. 2, 23. A Timone Syllographo, quamquam ioci causa, tamen vere etiam appellatur *ἀλκιμος ἥρωσ*, à Strabone *ἀνὴρ ἐπιφανής*.

in Pericle imaginem quandam Anaxagorae expressam esse, aut Graecos illum oratorem huic physico quodammodo debuisse patent, haud ita multum errare videantur 95). Morum certe maiestatem animique grauitatem, necessariam illam ad leuitatem attici popelli continendam, et libertatem a tristi superstitionis metu, eum Ionio suo hospiti acceptam retulisse, nemo facile negauerit; quamquam Graeci ipsi, quo maiorem Pericli aegritudinem adferrent, haud raro minus honorificum de praeclearo Anaxagorae ingenio iudicium ferrent 96). Animi autem aequabilitas quum mediis in fluctibus aduersae fortunae 97), tum in ferenda bonorum iactura constanter ab eo seruata, satis declarat hominem et parua spernentem et magna sobrie 98) ac sine ira atque inuidia sectantem, cuius mens nullis nebulis obfuscata philosophiae studio liberali aptissima fuerit. Bonis suis ita exutus priuatusque, vt coelum suam patriam diceret, siderumque et cursus eorum contemplatione magnopere delectatus, veri inueniendi studio 99) ad origines rerum inuestigandas traducebatur, et quantum quidem pro illorum temporum ratione posset, nouam sibi, relictis priorum commentis, aperiebat viam. Quodsi ipse mentis aciei plus quam phantasiae lusibus tribuerit, neque hominem in vlla re magis elaborare debere, quam in vera animi libertate comparanda et indaganda rerum natura voluerit 100), si ingenii acumine polluerit animumque a perturbationibus liberum seruauerit, nonne his consideratis procliuus sumus ad credendum, et maxime idoneum ad tantum periculum faciendum, primamque omnium rerum causam explorandam accessisse, et diligentiam laboriosissimam ac cupiditatem veri inuestigandi, inuentaque copulandi seu conciliandi sincerrimam secum adtulisse magnum ANAXAGORAM?

95) Plato saepius vtrumque coniungens, Nostrum illi et ad eloquentiam et ad το εὐφροσύνης comparandum magno vsui fuisse dicit. Alcib. 1. p. 35. V. 5. Phaedr. 370. V. 10.

96) Huc pertinere dictum illud Periclis nobilissimum ap. Thuc. in λογῶν ἐπιταφ. existimauerim (2, 40. p. 306. ed. Bauer.) φιλοσοφούμεν ἄνευ μάλακίας. Quam prope vero crimen impietatis Anaxagorae obiectum, Periclem quoque tetigerit, quamque acriter hic

illum defenderit, illius rei explicatio ab hoc loco aliena est.

97) Aliquando Pericles ipse eius prope oblitus esse traditur. v. Diog. in vita An.

98) Νῆφρων. Arist. Met. 1, 3.

99) Sic iam Arist. Met. 1, 3. ὅτι αὐτῆς τῆς ἀληθείας.

100) Θεωρίαν τοῦ βίου τελου καὶ τῆν ἀπο ταύτης ἐλευθερίαν ap. Clem. Al. p. 497. Pott.

Iam, ut iustum quandam ordinem sequamur, fontes eius doctrinae, qui in ipsius animo latebant, aperiamus. Primum itaque ex ratiociniorum arcto nexu et variis coniunctionibus declarandum est, quomodo ipse ad summum cosmogoniae fastigium et a physicis ad metaphysica paulatim adscenderit. Namque in ratione, qua cogitata sua connectere amauerit, in argumentis et sumtionibus primum reperiri fontem, facile intelligitur. Primum itaque Clazomenio consilium fuit experiri, num et quatenus ad illas quaestiones, ex quo semine, quae ratione illa rerum tanta arte conspicuarum vniuersitas progerminauerit et effluerit, cui harum rerum prudentissima collocatio et ordo perpetuus debeatur, posset a nobis responderi. Quod tanto autem studio illum rerum ordinem exponere, et generum, formarum atque mutationum, quas natura exhibet, causas antecessoribus, quos in physicis multum doctrina reliquit, altius repetere laborabat, haec, quanto opere eum illae quaestiones tenuerint, satis videntur declarare. Quod vero animum aduerterat Clazomenius ad quaestiones theoreticas, huius rei causa fuit et ille ingenii, quod antea describere conati sumus, impetus, omnium rerum explanationem atque probationem adgrediens, et philosophorum illius superiorisque aetatis studium ac consuetudo. Quemadmodum vero mere patriorum philosophorum, qui e schola Milesia \*1) atque Italica prodibant, materiam quaestionis e spatio rerum sensus fugientium delegit, ita eorundem secutus exemplum animum intendit ad naturae originem eruendas: id quod inde a theogoniarum fictoribus omnes deinceps fecerant philosophi. Quid? quod iisdem fere decretis ac sumtionibus, eum cum antecessoribus et aequalibus nisum esse deprehendas. Secutus enim et veterum poetarum et sequentium physicorum opinionem; το μηδεν ἐν τοῦ μηδενος γενέσθαι, aeternam sunsit esse materiem 2). Quod vero in illa prima omnium rerum conditione omnia permista et perturbata cogitaret, id Nostrum, qui, ut videbimus, saepius religionis vulgaris dogmata argumentis quibusdam firmare studeret, ideo fecisse arbitror, quod ab initio nihil nisi indi-

\*1) Ita nuncupo eam philosophorum successionem atque dogmatum, quae alias vetus Ionica appellari solet.

2) S. p. 34. b. 106. a. Docet veteres Theologos Graecorum (qui appellantur) ideo ali-

quo tempore omnia oriri voluisse, quia ad animi nostri imbecillitatem se demiserint, cui non liceat ad aeternae originis notionem adscendere. — At ipsi nec audebant nec cogitabant de hac re ulterius quaerere.



gestam rerum molem fuisse cum aliis statueret: qua etsi nihil rudius esset, tamen iam certas quasdam rerum classes, quamquam non discretas, in ea latuisse ratus est 3). Inertem porro eandem molem planeque et ab aeterno in motam esse voluit, quod, quum priores motum materiae aeternum statuissent, primus cum Empedocle coaeuo fecit. Huc primum duxit eum mistura ipsa, quae omnis tolleretur, si commotione mutaretur materia adeoque variae eius qualitates apparerent. Quum nihil a se ipso moueri nullamque materiae mutationem eius vi oriri nec ullos continuos motus sine certa directione instituta vel temere fieri postea animaduertisset: quiescentem cogitauit ὄλην 4). Eandem materiam firmam esse duxit, ac per se constare et certum implere locum 5). Plura seu multa στοιχεῖα illi rerum molei ideo intulisse videtur, quia obseruatas corporum diuersitates, nisi natiuas eas aeternasque diceret, aliunde se non posse explicare putabat. Infinitas πλῆθει non poterat non chaus particulas dicere, si omnia omnino ex massa illa elementorum recte se deriuasse veller existimari. Has vero particulas vt similes inter se, seu corporum deinceps enatorum qualitibus iam instructas, forma autem diuersas fuisse crederet 6): variis causis, praesertim physicis obseruationibus, commoueri potuit. Corporum enim varia membra, neruos, carnes, sanguinem ali augerique vidit vno et eodem nutrimenti genere, veluti pane 7). Per illam enim Chemiae infantiam, ne dicam absentiam, fieri potuit, vt alimenta iis se corporis partibus, quibus quaeque alendis destinata sint, assimilare nesciens, ea iam integras corporum particulas continere putaret. Id quod in Nostro neminem mirari aequum est, quum etiam post eius aetatem saepius factum sit, vt e singulis euentis et visis totius rei ratio colligi posse crederetur. Vt homines e suo semine progerminare vidit physiologus, ita quoque

3) Hanc omnium commistionem vnam dici posse naturam idem cum Eleaticis dixit, tamen non θεῖον, vt illi. S. ad Ph. 1, 6. b. 8. 38. b. 107. b.

4) Inducitur huius sumtionis fons ap. Aristot. Ph. 3, 4. Explicare h. l. studuit Tiedemanni acumen (l. l. 1, 323.), qui etiam Examen instituit argumentorum Anaxagorae,

quae, quo minus hic etiam examini subicerentur, libelli nostri ratio impediēbat.

5) Ἐν αὐτῷ στηριζόμενον. Ar. l. l. c. 5. S. p. 112. b. et 113. ἐν αἰνεῖν.

6) Aristot. de Coel. 3, 4.

7) Ipse, ἐν τροφῇ, inquit, ἔστιν μοῖρα αἵματος etc., παν ὑπο τῶν ὁμοίων τροφεται. S. 106. a. l. 29.

illarum particularum sua cuique semina insita esse voluit 8). Viderat etiam, in rerum natura reperiri corpora maxime contraria; quas iis diuersitates serius deum intercessisse quum sibi nullo modo persuadere posset, non minus, quam, quae iis distinguebantur, prima rerum elementa, aeternas existimabat. Porro quum rerum apte dispositarum suumque locum et ordinem tuentium vniuersitas, tum singulorum corporum propriae quaedam ac constantes qualitates potuerunt eum commouere, vt pro varietate corporum suam cuique classem adsignandam putaret 9). Poterat vero etiam aliis, forsitan ab astrorum ratione petitis, impelli argumentis, quae veteres scriptores ipsos fugerent. His quidem elementis ita comparatis singulare etiam nomen Ὀμοιομερῆων fingere conatus, in eo procudendo linguae aetatis suae leges non minus secutus est, quam Democritus, qui vocem μικρομερῆων usurpauit 10). Quae ad doctrinam suam de rerum natura fusius explicandam, et magis exornandam addidit, haec ex iis, quae hactenus dicta sunt, necessario sequuntur, et intelliguntur facillime. Namque ad res ex elementis procreandas, non opus erat ex eius sententia vlla eorum mutatione, quam Thales statuuisse videtur, sed tantum aut compositione aut discretionem 11).

Plura iam et varia ab antecessoribus facta erant, omnes rerum perfectiones ac virtutes hactenus obseruatas ex ipsius materiei indole atque viribus explicandi, pericula, Anaxagoras autem facultatem se mutandi, formandi atque efficiendi aliquid cum quodam consilio, materiae inesse pernegauit: quare, quum ei persuaderi non posset, ipsis rerum elementis insitam esse liberam voluntatem et discernendi atque dispartiendi omnia facultatem, alienam vim, hac facultate gaudentem, adhibendam putabat. Quaecunq; enim oriuntur, ex aliqua re oriri, quaecunq; soluantur, in aliquam rem solui, et quamque rem aliquid sequi atque praecedere, animaduertit. Itaque duplici ad rerum origines exponendas principio vel causa opus esse arbitrabatur, quorum alterum ποιητικόν, alterum vero κινητικόν postea dictum est, quamquam, an vtriusque eorum claram plenamque notionem auctor ipse habuerit, in dubium veniat 12). Neque vero in eo

8) Cf. Aristot. de Generat. 4.

9) Illa enim materia nondam habebat corpora organica, vii Lucretius senior adeoque Tiedemannus voluerunt, v. Aristot. Met. 1, 7.

10) v. Arist. de An. 1, 2.

11) Stob. 1, 18, init. p. 368. Arist. Met. 1, 3, S. p. 34. b. 38. 49.

12) Ita praeclare indicat Aristoteles Met.

Dualismus, qui proprie ac vere dicatur, reperiri arbitror 13). Voluerat denique ab efficiente principio omnia deriuari, siquidem viderat formas et figuras rerum mutari, et inde concluderet, non fortuito haec accidere, sed a suis quaeque effecta esse causis. — Ac primum quidem ab eiusmodi caussa commotionem τῆς ὁμοιομερείας, quae inerti illi particularum globo afferenda esset, effici voluit. Motus autem et caussa, quam in ipsa materia reperire nulla ratione poterat, et initium aliquod poneretur, necesse erat 14). Itaque eius sententia, quae ab antecessorum opinione, aeternam quandam materiae commotionem sumente, discessionem fecerat, et primum omnium aliam motus causam adhibendam esse clare perspicueque ostenderat, non omnino argumentis destituta pendebat. Quod vero commotionem non temerariam, sed constantem, continuam et ordinatam ab illius causae viribus proficisci voluit, hoc ideo fecisse putandus est, quia cum illis confusam turbatamque materiam animo coniungere sine repugnantia non poterat. Multa oriri, seu denuo componi viderat, quorum omnium nihil erat, in quo nullum ordinis atque compositionis initium appareret. Materiae commotionem, quae, nisi adiuncto certo consilio, directione ac veluti mensura cogitari nequeat, vel temere, vel ab aeterno coeptam, negauit. Astronomiae deditus obseruarat siderum constitutum cursum, anni constantes vicissitudines, ac suum cuique corpori eumque optimum locum in rerum natura adsignatum. Fluit autem ex conditione ipsius materiae, qua elementa continebantur, suis illa quidem virtutibus praedita, sed formis nondum certis distincta, quod non de creatione, sed de ordine tantum Anaxagoras dixerit. Tantum vero aberat, ut quemadmodum posuerat Theogoniarum conditores, omnia pluribus naturae vi-

i. p. 1239. cf. Al. Aphr. ad Phys. 1, 4. S. p. 6, b. 33. a. Distinguendum vero esse inter mundum νοῦτον et αἰσθητόν s. φαίνομενον, id non Anax., sed Eleatici in primis docuerunt. S. 5. b. 113. a. Parmenidem tamen nouimus, sensibili mundo duo principia subiecisse et eorum alterum, actiuum illud (θεῖον) sensu carere statuisse.

13) Hunc sibi tamen reperisse videtur Tiedemannus l. 1. p. 328. coll. p. 333. et Cudw. Syst. I. p. 328. Dualismus autem

apud Cartesium ad mundi tantum substantias pertinet, quum discrimen inter mundum Deumque profecto quaelibet doctrina, quae vnum Deum docet, admittat.

14) Fortassis naturae effecta et observationes eum docuerant, hanc rerum vniuersitatem moueri posse, v. c. terrae motibus. Vidit etiam eius aetas Delum antea ἀκίνητον prima tum vice κινηθῆναι, idque factum esse a Deo narrat Herodotus 6, 98. cf. 2, 8. et Arist. Meteor. 2, 7.

ribus vel adeo caussis personarum habitu indutis effecta, et nouos tanquam Deos introductos veller, vt potius v n u m illud idque agens principium statueret. In quam eum cogitationem non tantum ratio impulit materiae, quae et ipsa vnum quoddam esset, sed indefessum etiam quaerendi studium duxit ad caussarum omnium summam et vltimam, omnesque vires complexam, seu fundamentum huius mundi ab omni parte absolutum. Eiusmodi caussas complures pro diuersitate corporum diuersas propter constantiam per totum mundi orbem nulla re obstante regnantem, minime admittendas putabat. Neque gradus perfectionis non definitos addere cogebatur primi motoris notioni, quem tanta praeditum cogitaret perfectione, quantam ipse animo posset concipere 15). Id vero ea demum poterat Graecorum aetate reperiri, qua, paulatim via ad meliorem morum doctrinam munita, practica illa, quae dicitur, hominibus allata est, auctorem rerum omnium summum perfectissimumque quaerendi, necessitas. Quam quidem caussam animo Nostrum adsequi non potuisse, nisi ope rationis probe exercitatae, minusque seruentis phantasiae imperio, apertum est. Est quidem menti humanae id facultatis atque studii a natura inditum, vt, quaecunque alicui rei propria sint, vna notione possit comprehendere, et omnia vel cogitata vel sensibus oblata, quamquam maxime disuncta sint, ita conglutinare aliquo vinculo, vt ad se pertinere videantur, perpetuo labore. Sed id profecto non sufficebat, verum necesse etiam erat, vt Anaxagoras non modo res et granitate et varietate sua conspicuas diuersisque locis ac temporibus sensuum officio acceptas, vti facto vsus erat, animo componeret ac copularet, sed et suis quasque condiciones, vires virtutesque fundamentis niti, probe persentisceret. Hoc fere modo instructus paratusque Noster in communionem doctrinae antiquiorum Ionicorum de vno *συνεχές* ita venit, vt summam illam agentemque caussam non, vt illi, in materia sitam, sed ab ea plane seiunctam et longius remotam esse vellet. Namque quoniam elementorum ille cumulus omni vita carebat ac sensu, et, vt Anaxagorae verbis vtat, quaeuis commixtio illam omnis ordinis caussam, quo minus vim suam exsereret, impediuisset, eam vt ab elementis prorsus segregaret necesse erat, ne qua illi cum his affinitas aut necessitudo videretur intercedere.

Ita iam ad summum Anaxagorae Cosmo-Theologiae caput locumque prima-

15) Ita KANTIVS explicauit Anaxagorae *nunzi* 1, 2, 2, pag. 253, 254. Edit. 1mae, inventionem *Kritik der praktischen Ver-* a. 1788.



rium, qui, qualem potissimum causam mundi praefecerit descriptioni, docet, accessimus: in quem, quo plura et grauiora, quae illi causae tribuuntur, praebent ad nouam hanc doctrinam adcuratius cognoscendam aestimandamque adminicula, eo intentius aduertendus animus est. Quae quidem quaestio duas etiam partes habet, quarum prior de re ac notione ipsa, posterior de eius nomine agat.

Etenim, in quem redacta est corporum illorum moles, ordinem tam egregium a Causa aliqua profectum esse oportuit. Quam neque in casu quodam fortuito, qui monstrum fudisset inconditum, nec in fato coeco aut necessitate dura, quibus consilium aut incitamentum deesset, neque in vi aliqua mere physica, veluti vento vel simili re, quae et ipsa, materiae legibus obtemperaret, ponere potuit Ionius philosophus, qui vel ad tantam tamque inertem molem ciendam grauiori momento, vel ad particulas tam infinitas tractandas vi opus esse, quae et ipsa infinita, non tantum multo quam materia purior atque clarior esset, verum etiam subtilissima perspicacia gauderet, atque omnibus omnino rebus longe antecelleret, probe intellexisset. Ad mundum hoc modo componendum ornandumque exigi videbatur natura, quae non tantum sensu suiue conscientia, verum etiam summa vitae ac libertatis copia et agendi facultate praedita consiliorum grauitate et constantia polleret, atque omnino digna aestimari posset, quae tanto tamque egregio operi praeesset. Cuiusmodi vim, quae tot rerum genera et una complecti, et separationem eorum concipere atque experiri posset, in tota rerum natura nusquam Clazomenius sibi reperire visus est nisi in summo vitae flore in omnibus animantium generibus conspicuo, in illa MENTIS infinita vi et ratione, quam omnibus illis virtutibus instructam a Diuina natura non ita multum distare ipse videtur quodammodo suspicatus esse. — Indagandae igitur sunt rationes, quomodo Anaxagoras et priora illa attributa, et praesertim rerum condendarum initium in Mentem conferre potuerit.

Nullam omnino vim magis omnibus aliis dissimilem longiusque a materiae contactu remotam, et nullam virtutibus excellentioribus exornatam magisque sibi constantem reperiri putauit praeter Mentem. Neque poterat pati pura Mentis ratio quidquam materiae sibi admisceri <sup>16)</sup>. Neque agendi efficiendique

16) Vt ait Aristoteles de An. 3, 4. p. 1416.

facultas, qua principem illam causam instructam esse oportebat, a natura Mentis abhorrebat, quam cogitando celerrime aliquid perficere, ad res externas euagari, easque varie mutatas cogitare posse cognouisset. In eandem vero *αἰτίαν* Imperium etiam inprimis conuenire perspexit, siquidem et summæ libertatis, et omnium cogitationum, consiliorum, mutationumque compos esse censenda sit 17). Primi Motoris notio nequaquam aliena fuit a Mentis natura, quam Prisci iam omnis vitæ motusque vnum principium habuissent 18). Quæ quidem opinio ipsa etiam profecta videtur a distinctiore summi daemone notionem, non indigni ad quem elementorum non ipsa quidem conformatio, sed commotio tantum referretur. Atque videtur eum Anaxagoras, ne quid eius dignitati detraheretur, non cõminus sed eminus vim suam in materiam exserere voluisse, eumque omnia vno tamquam ictu commouere primamque vniuersi causam haberi, quam singulas res ipsum fingere maluisse 19). Ex eodem etiam commotionis fonte recte poterat rerum discretio et separatio deriuari, quum non solum id mentis proprium sit, vt compositarum rerum partes discernere animoque disiungere valeat, verum ipse quoque Anaxagoras, teste Simplicio, animaduertisset, puerum, vbi rerum discrimen cognouerit, tum demum scire viribus suis recte vti. Descriptionem denique et ordinem bene vidit neque a sensu quodam, vt amicitia, id quod Empedocles statuit, neque a phantasia omnia perturbante, sed potius a Mente pendere. — Quomodo autem has omnes perfectiones in Mente inprimis agnouerit, quaque via peruenerit ad has inprimis virtutes obseruandas Ionius philosophus, de eo iam quaerendum est.

Nostrum animi humani inuestigatorem credere æquum est, primum agnoscisse in se ipso vim illam vnam et principem, eamque animaduertisse non tantum sentiendo, cogitando et volendo solere se exserere, verum, imprudente etiam et inuito se, facultates suas exercere posse. Ad naturæ obseruandæ studium incumbens non substiterat in rebus vita carentibus considerandis, sed animum etiam ad animantia contemplanda conuerterat. Inprimis hominem ipsum adcuratius intuitus, qui illi locus inter caetera animantia adsignatus sit, iam cognitum habuisse videtur.

17) *Ἦoc ἡγάγην τὰς διατάξεις* Thucydides 6, 11. dixit.

18) Cf. Arist. de An. 1, 2.

19) Haec coniectura maiorem adipiscitur veri speciem, coll. deserto loco Euripidis inter Ei. fragm. incerta n. 129. p. 488.

Cognouerat enim illam hominis partem, quae maximam dignitatis 20) habet commendationem. Itaque eum e reliquis animalium classibus penitus exclusum esse voluit, quippe qui illis et ratione 21) et manuum usu superior esset. Quae quidem vel hoc nomine commemoratione dignissima sunt, quod notionem summi numinis, cuius virtutes nisi comparationum auxilio cogitari nequeant 22), ex iis quae homini propria sunt collectam, et ad eius imaginem effectam, denique a contemplatione mentis humanae ad notionem summæ Mentis peruentum esse videamus 23). Nec praetereundum est, caeterorum quoque animantium structuram non prorsus incognitam fuisse viro *Φυσιωτάτην* 24), neque ei tantum in animalibus omnibus, quum maioribus tum minoribus, praestantioribus et abiectis 25), verum etiam in plantis *ἄλλων* quendam, deprehendi visum esse 26). — Observata eiusmodi vi in singulis quibusdam rerum naturae partibus traductus Noster est ad vim totius mundi efficacissimam cognoscendam; quae non modo nullis machinae legibus subiecta, sed libera etiam ratione praedita, videri poterat vniuersa quaedam atque princeps vis, omnes omnium substantiarum reliquarum, quae vel machinarum ritu impellantur, vel libera voluntate exercentur, vires complexa.

20) Omnium plenissime iudicium illud Nostri exposuit Plutarchus, de Fortuna VI. p. 373.

21) Dixerat eum *Φρονημοτάτων τῶν ζῶων*. v. Aristot. de part. an. 4, 10. De plant. 1, 1. Plut. de am. frat. p. 478. T. 2.

22) Cf. Kant — *Kritik d. Urtheilskraft*. 435.

23) Quem animi nisum et adscensionem clarius ostendit Anaxagorae discipulus Tragicus saepe laudatus in Troad. v. 886. 887, vbi inuocatur Iupiter et additur: siue ille sit Necessitas, siue *Νῆος ΒΡΟΤΙΩΝ*; et in Phoen. 549, vbi haec leguntur: *Ὅστις ἀφ' ἑνὸς λογικοῦ τοῦ ἀνθρώπου συνεκδοχικῶς πασι τοῖς λογικοῖς τεταγμένα ἐν τῷ παντί φησι δουλεύειν*. Cf. Philo de nom. mut. p. 408. Vol. 4. Ed. Pfeiff., qui Anaxagoram quamquam non nominatum, videtur vituperare,

et Origenes c. Cels. p. 214.

24) Hanc ipsam adpellationem e Sexto l. 1. p. 611. repetii. Constat, quam sobrie capitatis cuiusdam taurini monstrosam deformitatem, qua Lampon astrologus magnam aliquam reipublicae conuersionem portendi autumabat, e physicis rationibus declarauerit. Verum et ita tetigit genus irritabile vatum: v. Plut. in Pericle, et Theophr. Char. c. 16.

25) Etenim, quae in brutorum natura constanter observabantur, quaeque a ratione profecta esse multi existimabant, hoc modo explicandi fecit periculum.

26) Arist. de Plant. 1, 1. coll. Simpl. de An. p. 6. b. et 63. b., vbi S. ab hoc, qui machinae modo agere solet, distinguit, atque adeo illum *ἄλλων* in omnibus hominibus inueniri negat.

Ratio enim iam corroborata et exercitioribus in rerum contemplatione viribus instructa desiderabat ideam causae mundi absolutae, et, reiecta omni symbolica effictione, summum quendam orbis conditi statuebat auctorem. Denique Anaxagoras nullam sibi deprehendere videbatur digniorem, altiore, pollentiorumque vim, vnde quum illa admiranda magnificentia, tum prudentissima atque exactissima et sciendi cupiditatem maxime acuens omnium maiorum minorumque rerum constitutio, dispositio, coniunctio ac ponderatio, per vniuersum mundum aequabiliter fusa, deriuari posset, quam Mentem, humana ampliorem et liberio-rem, omnia complexam, nec quidquam sine consiliis agentem, et inertis materiae commotae, inque ordinem redactae, ac pulcherrime exornatae causam 27).

Quibus expositis iam hoc apparere arbitror, rerum externarum cognitionem atque usum euehere potuisse homines ad summi numinis notionem, praesertim ea aetate, qua inciperent mentis rationem, morum praecepta continentem, agnoscere. Namque omnium omnino virium et perfectionum societas absolutissima, et facultas omnia omnino definiendi constituendique validissima cogitari non posse videbatur, nisi in natura perfectissimo intellectu pollente. Quam homo naturam omnium exactissimam primo animo tantum conceptam atque cogitatam, mox vere esse existimatam, et argumentis comprobata, denique personae habitu exornare conatus est. Ad quem omnium rerum fontem principem adscendebatur per omnia ea, quorum suo quodque fundamento nititur, eundo vsque ad id, quod ab vlla re neque pendet neque sustentatur 28).

Itaque quas quidem scriptis conseruatas habemus harum rerum quaestiones a Nostro institutas, hae omnes profectae erant a structura totius mundi contemplanda, eiusque origine indaganda. Quae vero rerum naturae facies cum inprimis tenuerit animumque eius ferierit, tum quomodo eam considerauerit, et quid in eadem maxime memorabile habuerit, haec vel exiis, quae hactenus allata sunt, possunt intelligi. Manifestum est, in rerum naturam eum eatenus inprimis in-

27) Quem iudicandi modum non aequè abhorreere putem ab ingenio nostri, ac quem Thomassinus (*Methode d'étudier la Philos. I.* 24.) sequutus est, Clazomenium scilicet suam aetatem, nimium maturiorem, ad an-

terioris aevi doctrinam de vno Deo reduxisse.

28) Recordemur eorum, quae Kantius (*Kr. der seinen Vernunft*, 617. 59. coll. 06. 5.) in hanc rem disputauit.



tendisse animum, quatenus ea totum esset e variis materiis, quae prius iam existerant, instructaeque erant certis quibusdam virtutibus, compositum. Terrae mutationum externarum, caussis earum cognitis, quasdam praevidit 29). Siderum quoque magnitudines, interualla, cursus, cometarum lacteique orbis naturam anquiret 30). Pluuiam et tonitrua proficisci putabat a caussis naturalibus 31). Tum nominatim solis et formam et obscuracionem definiuit 32); lunamque terram esse dixit, eiusque non modo κατανασμοῦς et umbram, verum etiam εἰκησεις, πείρα, λήψεις, ὄρα, Φαράγγας docuit et declarasse dicitur 33): vnde quum ipse coelum ad Xenophanis exemplum suspexit, tum etiam hominem quendam, vitae molestias aegrius ferentem, coelum adspicere iussit, καὶ τὴν περὶ τοῦ ὅλου κόσμου ταῦτα 34). Quae si mente omnia comprehenderimus, non modo parum dubitabimus, quaedam certe eum descriptionis, harmoniae, consiliorum, legumque in rerum natura iam reperisse vestigia, quibus deinde Socrates insisteret: verum eundem etiam videbimus paene coactum esse, vt mundum vel sine intellectu et minutissima penetrante condi, vel sine iudicio et intelligentia amplissima constitui ac gubernari, vel maxima illa mundi corpora sine vi primaria et sibi constante et sua sponte agente volui non potuisse, sumeret statueretque.

Clazomenium vero in iis, quae cogitauerat, oratione efferendis tradendisque non temere versatum esse, facile potest demonstrari. Etenim quemadmodum in omni omnino philosophiae historia tractanda, ad quam non modo suam quaeque aetas, verum illa quoque, qua nulla adhuc schola certum quendam sibi proprium vindicasset sermonem, culturam redegerit linguam, perpetuo indagare debemus: ita nos eiusdem rei Anaxagoreum contemplantes aeuum, cuius iam tanta rerum huius generis memorabilium vbertas sit, sedulo oportet rationem habere. Haud ita pridem lapsa erant tempora, vbi pedester sermo, solutus quidem

29) V. eius de Lampsacenis montibus apud Diogenem, de Nilo ap. Sext. iudicia.

30) Cic. T. Q. 5. 4. Diog. et Stob.

31) Pertinent huc haud dubie Aristophanis scommata in Nub. 350. 372. cf. Plat. Apol. S. p. 61. et de Leg. X. p. 888. Bip.

32) Solem διαπυρον μύρον h. e. massam

lapideam ignitam dixit. v. Valken. Diatr. p. 30. Wesseling. ad Herod. p. 76. 24. et Lenep. Etym. p. 137.

33) Plat. Apol. 14. Cic. A. Q. 4. Plut. Nic. 23. Diog. 2, 7.

34) In loco, qui neglectus esse videtur, ap. Aristot. in Eudemo. l. 5. *ἡμεῖς δὲ τὸν κόσμον*

metri vinculis, imaginum tamen tamquam nube obuolutus obscuratusque inceserat. Pugnavit ille quidem primis Anaxagorae annis hoc se onere leuare, sed huius maculae, ad quam abstergendam illius ciues, Cadmus iste ad historiam, et Pherecydes ad philosophiae studium incumbens parum fecissent, vestigia reperiuntur etiam Pythagorae atque Xenophanis et forsitan illius quoque aetati, qui Nostri fertur praeceptor fuisse, adpersa. Quam parum vero felices in cogitando progressus faciamus nulla linguae subleuati perfectione, ea autem quam multum debeat fortunae prosperisque rerum conditionibus, id quem fugiat neminem esse arbitror. Huc nominatim pertinet papyrus centum fere annis ante Nostrum in Ioniam importata 35). Ante Persica vero bella constat arte scribendi Ionios tantum Magnaeque Graeciae incolas, non Athenienses, imbutos fuisse 36). Anaxagorae vero tempore inualuit vsu legendi scribendique elementa quoque perdiscere 37). Hinc Noster primus etiam interdum scriptor, qui soluta oratione de philosophia exposuerit, fuisse traditur. Sed huius rei narrationes partim recentiores, partim non satis definitae 38) locum relinquunt coniecturae, Anaxagoram primum fuisse, qui Athenis philosophiam clarius traderet. In hanc ipsam Anaxagorae aetatem incidit etiam Homericorum carminum, vnde omnis Graecorum religionis et aliarum disciplinarum cultura, omnisque interpretationis origo exstitit, vulgarior vsus, et auctus exemplorum numerus 39). Memorabilem sane aetatem, quae plura et egregia Nostro ad tantam quaestionem soluendam subderet incitamenta! Atque Anaxagoram in ipsius linguae naturam et vim animum intendisse, eo non modo demonstrari posse arbitror, quod iam eius aetate Sophistae in lingua indaganda elaborare coeperunt 40), quodque illa Periclis celebrata eloquentia Nostro, eius praeceptoris, certe quadam ex parte debebatur,

35) Id docuerunt VV.CEL. Wolfius in Prolegg. Hom. 1. p. 59. et Boettigerus *über die Erfindung des Nilpapyrus u. s. Verbreitung in Griech.* 1796. T. Merk. Partic. 2. et 3.

36) Wolfii Proleg. I. p. 69.

37) Cf. eiusdem Boettigeri, cuius ingeniosa sollertia in his dirimendis egregie solet versari, Prol. quid sit fab. docere, P. 2. n. 1.

38) Clem. Str. 1. Diog. 3, 1. cf. Füllebor-

nii *Beitr.* 2. G. d. Ph. 7, 3.

39) Vsque ad Periclis aetatem Graeciam constat Homerum auditione magis quam lectione cognitum habuisse.

40) Hi enim multo mihi plus ad linguae culturam videntur fecisse, quam illis nunquam conceditur, adeoque ipsi Platoni in multis quaestionibus huius generis praenuisse.

sed adsunt eius rei clariora etiam vestigia. Namque et in singulis quibusdam verbis vsurpandis οὐ ὀρθῶς νομίζειν τοὺς Ἕλληνας ipse 41) significauit, et finxisse etiam noua verba videtur 42), certe pluribus verborum vulgarium certiores fines posuit. Id quod iam elucet luculentissime e delectu vocabuli, quo ad principem illam agentemque causam designandam vsus est. Quod supra breuiter monitum est, Nostrum De i vocabulo abstinuisse, eius rei causas hic liceat subiungere. Viderat enim Graecos, qui tam erant, quam ambiguo et indigno fere sensu ΘΕΟΥΣ dicerent, relicta plane huius vocabuli antiquiore illa et augustiore potestate, quae partim ex Homeri vno adhuc loco 43), partim ex etymologia potest cognosci, ad eam vero in Mente illa describenda rediisse Hegesibuli filium, ex ipso etymo putem posse demonstrari. Sobrie enim adhibita philosophia linguae apparet, illud vocabulum ex oriente, atque ab antiquiore illo astrolatrici cultu profectum vel siderum cursum et motum 44), vel mundi huius ordinem, dispositionem et ornatum indicasse 45). Ex antiquissimis illis Homeri carminibus, vel ex religione vulgari Clazomenium multa Deos, et inprimis summum eorum, Iouem spectantia seruasse, deinde monstrabitur; nunc satis sit monuisse,

41) In fragmentis ap. S. p. 34. b. lin. 51., v. c. in verbis vulgatis: γινεσθαι et απολυθαι, ad eius quaestionem profecto grauissimis.

42) Id quod δεμοιομερειων vocabulo valet.

43) Il. 6, 180. Δειον est magnum et stuporem horroremque obiciens, quale Δειων Φυλον in summa antiquitate fuisse, ex vulgi opinione traditur in ea ipsa prima Iliados parte Rhaps. 5, v. 440. sq. In serioribus libris haec notio derior non amplius occurrit.

44) Ita ΘΕΟΣ a Δειν, currere, derivatur. Quam deducendi rationem prius adtulit Plato in Cratylo p. 397. P. 1., fortasse a Sophistis acceptam. Praeterea etiam Sinenibus TIEN coelum appellatur.

45) Ita ex Δω formatur, vnde τιθήμε να-

tum. Ad quam derivationem defendendam excitari potest dictum illud Anaxagora antiquius, quod Herodotus (2, 52. p. 129. Wess.) seruauit, Pelasgos numina sua ideo ΘΕΟΥΣ cognominasse, ὅτι κοσμοῦ Δεύτες τα πάντα πρηγματα και πασας νομας εἶχον. Vocabulum Κοσμος ab initio respondens voci ταξις, h. e. apta institutio (cf. Her. 7. 99. cum Thuc. 3, 77.) ad coelum a Pythagora (Phot. Bibl. e vita Pyth. p. 714. c. 31. ed. Hoeschel, et Plut. de plac. 2, 1. Tiedemann Geist d. sp. Ph. 1, 130), ad mundum vniuersum vero a Sophistis demum, translatum videtur (v. locus disertus ap. Xenoph. M. S. 1, 1, 11.); quoniam rerum vniuersitas, antequam ea Anaxagore opera accuratius cognita esset, eo nomine ornari non poterat.

Anaxagoram, Periclis amicum, qui incultos adhuc Atheniensium animos et *δαιμονίαν* nosset, cunctatum esse Xenophanis perspicacissimi audaciam imitari, Deorumque Homericorum vanitatem et ipsius poetae mendacia in lucem protrahere 46). Itaque leniori utens medicina in Homero legendo explicandoque se ad accommodationem vel moralem quandam interpretationem contulit 47), METRODORI Lampsaceni ductus exemplo, qui eadem illa aetate allegorias in Homero sectari coepisset 48). Quarum quidem rerum grauiorum egregia conspiratio, vel rationi quam Anaxagoras in scriptis veterum tractandis secutus sit, vel fontibus, vnde suam Theologiam hauserit, haud exiguum lucem videtur accendere. Id certe clarissime ostendi posse arbitror, Nostrum suae doctrinae partes alias e religione vulgari accepisse, alias cum illius decretis conciliasse, forsitan etiam, remotis arbitris, hanc conciliationem suis suasisse discipulis 49).

Quod contra in Anaxagorae Theologia vocabulum ΝΟΟΣ de diuino numine dictum admodum solemne et quasi domesticum est: id quod eius scriptorum fragmenta adhuc seruata testantur; neque minus frequentem in libris eius deperditis eiusdem nominis vsum fuisse, apparet vel ex eorum testimoniis, quibus totum

46) Neque tamen omnem inuidiam potuit effugere. Omnem in eum intentam persecutionem, variasque eius causas, nondum, quantum sciam, satis apertas et examinatas, et Lacedaemoniorum machinas contra eum adhibitas, alio forsitan loco exponemas, vbi etiam, cur in Magna Graecia Xenophanes impune Homerum exagitare potuerit, et iam ante Paonium fuisse, qui a politicis causis profectam vellent Nostrum aduersionem, declarabitur.

47) Testis Phauorinus est ap. Diog. 2, 11, p. 86. Dixerat enim Anaxagoras Homeri ποῆσιν ἀποφρασσαί περὶ ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης. Cf. Wolfii Prol. ad Hom. p. 162. Vol. I. Dicebatur inde haud dubie Lyrnarcho Theologus ANAXAGORICUS is, qui in quoque S. L. loco, quidquid vellet, inueniret.

48) V. Tatiani Or. c. Gr. p. 160. ed. Col. 1685. ad Inst. Mart. Cacterum iam Pisistrati aetate Theages Rheginus eidem Metrodoro, cuius Nostrum Diogenes vult imitatore m fuisse, praeiuerat.

49) Docere hoc videtur locus in GE. SYNCELLI Chronographia p. 149. (Par. 1632. f.), qui simul illam vtriusque doctrinae coniunctionem luculentissime declarat. Vbi enim adtulit e Platone, Promethea, qui a barbaro victu ad mansuetudinem homines traduxerit, significare τὸν ἐν ἀνθρώποις νόον, addit: Ἐρμηνεύουσι δὲ οἱ Ἀναξαγόρειοι τοὺς μυθολογικοὺς Θεοὺς, νόον μὲν τοῦ Δία, τὴν δὲ Ἀθήνην τελέτην. Eodem fere modo Metrodorus ille Iovem, Athenen etc. φύσις dixerat esse ἀποστάσεις ἢ στοιχείων διακοσμήσεις. v. Tatianus I, 1.

περι Φυσεως opus oculis perlustrare contigit, vel ex eo, quod Anaxagoras ab ipsis aequalibus, si fides Plutarcho habetur, ὁ ΝΟΥΣ cognominatus sit 50). Quod vti ostendere potest Nostrum simpliciter, Dei non adiecto nomine illam vocem vsurpasse, ita etiam, quantopere et suam et aliarum rerum naturam perscrutatus, quamque ipsa antiquitas altiore eius doctrinam admirata sit, videtur declarare 51). Huic autem voci quam ipse propriam potestatem, quamque diuersam esse voluerit a notione ψυχης, de eo iam ita exponetur, vt tradenda illius vocabuli eiusque valoris deinceps mutati historia, viam, qua translatum sit ad nomen diuinum, aperiamus 52). Quod eo magis faciendum est, quo eum ipsum studiosius in naturam νοου et ἀνοιας et Φρενημας inquisiuisse, colligere possis e Platonis Phaedro 53). Et quamquam quid discriminiis inter significationem eius primam ac veluti originariam, et inter vulgarem, quae vsu sensim recepta est, intercesserit, et quid, quam sibi philosophi vindicarunt, ab vtraque distinxerit, haud ita difficile ad reperiendum est, tamen monere liceat, notionem μοϋενδι atque aceruandi huic etiam vocabulo ab initio adhaesisse 54). Postquam externarum muta-

50) Timon Phliasius in Syllis ap. Diog. 2, 6. Plut. in Pericle 1, 595. Reisk. Harpocration et Suid. v. Anax., Aelian V. H. 8. vlt.

51) Nescio an liceat primum illius cognominis vsum Comico alicui aeni illius vel Cratino vel Eupoli vel Teleclidi tribuere. Fieri etiam potuit, vt Pericli magnam in ciuitate auctoritatem inuidentes, eius praecceptorum arrogantiam quandam affingerent; neque audeo decernere, an ille verborum novator Aristophanes ad inuidiam Anaxagorae nouum hoc vocabulum νοβυστινος suo apte ingenio finxerit Eccles. 441. Vesp. 1289., quod antiq. interpres νοϋ πεπληρομενον explicat. Plato certe in Phaedro ἀνοιαν, Anaxagorae νοϋ ambiguo quodam sensu addere videtur. In contrarium deinde Apollinaris de sententia sua theologica ΑΝΟΥΣ appellabatur.

52) Quamuis Meinersius (*Gesch. d. Wiss. I,*

682) Anaxagorae philosophiae obscurissimam partem psychologiam dixerit, adeoque, quod de Pythagoreis (p. 542) pronuntiauerat, repetierit, hoc tamen quaerendi studium impetire non debet.

53) Phaedr. p. 370. Vol. 10.

54) ΝΟΥΣ et νοϋϵϵϵ est a νοϋ, cui nuper V. D., Habkart, in libello mox laud. p. 10. narranti significationem subiecit. Equidem potius cum SCHELDIO (*Animadv. ad Lennep Obs. ad Orig. L. G. Tr. ad Rh. 790. P. I. p. 604. coll. p. 615.*) originitus significasse motum crediderim, qui quando per vices sursum ac deorsum tenderet, veluti in nutu oculorum ac capitis, hominibus antiquissimis animi cogitantis signum posset existimari. Quod vero Lennep (p. 613.) negat, unquam νοϋϵϵϵ brutis tribui animantibus, id Anaxagorae doctrina satis refellit. Plut. de pl. phil. 5, 20.

tionum interna eaque agens causa quaeri coepta est, facile iam fieri poterat, ut eorum, quae agerentur, plura ex interno illo fonte constantius derivarentur. Causae vero illius notionem diu inter Ionios vagam solutamque errasse, restantur etiam carmina Homerica. Sed ne iusto ulterius euagari videar, quae has res diligenter examinando reperi, breuiter explicabo. Itaque *HOMEPO* sententiam de binis hominum animis, sentiente illo, et altero cogitante ego equidem non ausim tribuere 55), neque eum vel *VOOY* de mente tantum, sensu prudentiaque dixisse, qui ei et cogitationis, consiliorum, morumque vim subiecerit 56), vel verbo *VOOY* perficiendi exsequendique potestatem tribuisse arbitror 57). Vniuerse *VOOY* apud Homerum cogitata aequae ac sensa, animi studia, indolem atque prudentiam, nequaquam autem iam certo ac clare definitam vim animi indicat. Quemadmodum vero in diuersis Homeri carminibus diuerso constat significatu *VOOY* efferri 58) ita nunc *ἐν θυμῷ*, nunc *ἐν στήθεσσι*, nunc *μετὰ Φρεσίν*, nunquam tamen *λογοψυχῆς* positus reperitur. Pertinet igitur semper ad homines, etiam in bruta mutatos 59). Iam viderat Homerica aetas nonnullos mortalium *VOY* illos quidem excellere, nihil tamen sine vilo Deorum auxilio posse efficere 60): itaque *VOOY* ad Deos etiam, inprimis vero ad *MINERVAM* 61), sed omnium saepissime ad summum Deorum, qui eorum conciliis praeesset et voluntatem interpretaretur, quippe ipsam Mineruam genuisset atque sibi perpetuo adsidentem haberet, transferebat. *IUPITER* Optimus Maximus et longe praestat mortalibus *VOY* 62), et eundem illis largitur 63): eiusdem decretum (*VOOY*) ne Deus quidem potest subterfu-

55) Cum auctore vitae Hom. in Gale Opusc. myth. Amst. 1683. p. 345. sq., Meinersio *Gesch. d. Wiss.* I. 544. et cel. STURZIO in doctissima Prol. 3. de vestigiis doctr. de animi immort. in Hom. Ger. 1797. p. 14.

56) Vti inperime C. Guil. HALBKART in diligenti et eleganti Comment. de Psychologia Homerica. Züllich. 1796. 8. C. 1. §. 3. p. 9. et 10. docuit.

57) Stüdtit hoc ex Od. 13. 229. coll. 20. 310. et Il. 1. 549. ostendere V. Cel. WAGNERVS in egregia Prol. de fontibus honesti ap. Horn. 1795. p. 12.; quam tamen in illis locis

penetrandi, in hoc decreti sua sponte facti notio videatur sufficere.

58) In *Odysseae* libris mediis (8, 576. 9, 176. 13, 202.) de humano re, seu vere diuino illo ac religioso (*θεοῦ* opp. barbaro) usurpatur, et diserte distinguitur ab *ἀγῆ* et *βούλη* (Od. 12, 211. etc.)

59) Od. 10, 240. Reliquis vero bestiis *VOOY* nusquam tribuitur.

60) Od. 1, 66. — 16, 197.

61) Il. 22, 185, Od. 5, 23.

62) *Κρείσσων* Il. 16, 688. 17, 176.

63) *Ἐσθλόν* Il. 13, 732. sq. Od. 1, 348, 6 244.

gere 64), aliosque plane latet 65). — His fere similia in *ἠεριστοῖ* variis illis carminum fragmentis occurrunt. Iouis, qui omnia scit et intelligit, consilium, difficile illud quidem intellectu, semper tamen perficitur 66). — Qui ab his proximi fuerunt poëtae, distinctius *σοφ* ad Deos transtulerunt. Namque *solon* non modo illa priora, semper et ubique decretum diuinum ignotam 67) esse hominibus repetiit, verum adcuratius etiam definiuit mentis mensuram ita, ut, quae omnium rerum fines sola complecteretur, eam nos facile metiri non posse, diceret 68). In quo eum loco ut mentem *divinam* expressisse statuamus, *Clemens* suadet expositio. — *Thales* Solonis aequalis memoratur ille quidem magnam *σοφ* tribuisse celeritatem 69), sed eundem iam mundi *σοφ* diserte docuisse, incertis tantum, ut deinde monstrabitur, traditur testimoniis. — Postea *Therexvdes* quidem existimabat hominum menti quaedam a Deo posse inspirari 70); verum multa in hac re magis definiuit eius discipulus *Pythagoras*, qui non modo primus esse traditur, qui animantia omnia *σοφ* instructa, mundumque ipsum intelligibilem 71) perhiberet, verum etiam tria animi *μερη*, h. e. vires, *σοφ*, *Φρενα* atque *θυμον*, i. e. rationem, cupiditatum, inclinationum et affectuum sedem adcuratius distinxisse, eaque omnia vnis exceptis *Φρενεσι*, quas hominibus solis relictas vellet, in animantibus reperiri contendisse dicitur 72). Idem et docuisse, mentem humanam a Diis dari, et dixisse eam diuinae mentis partientiam, Diisque cognatam extrinsecus hominibus inseri traditur 73). — Deinde *Comicus* ille *Pythagoricus*, *Επιχάρμης* mentem a sensibus vterius secreuit, nec quidquam vel visu,

64) Od. 5, 103. cf. Hes. Op. et D. 105.

65) Od. 24, 474. In aliis locis Iouis *σοφ* tam arcis circumscribitur limitibus, ut nunc a *lunone* circumueniatur (ll. 14, 160.), nunc somno obnubilatur (Od. 19, 479. et ll. 14, 252).

66) Op. 265. Th. 638. — Op. 431. Th. 1002. — cf. Th. 37. et 51. Ipsius tamen Iouis *σοφ* fallitur a *Prometheo*.

67) *Ἀφαινον σοφ*. v. *Carminum* El. fragm. 31. p. 111. ed. *Fortlage*.

68) V. *Fragm.* 30. cf. *Clem. Str.* 5, 12.

69) *Ταχιστον σοφ*, *δια παντος προχει*. *Diog.* I, 35.

70) *Ἐις σοφ* *βαλλειν*. p. 180. ed. *Sturz*.

71) *Νοερον* v. *Alex.* ap. *Diog.* 8, 251.

72) *Diog.* 8, 30. p. 513. Cf. *Meinersii Gesch. d. W.* I, 542. cum *Tiedemannii* l. I, p. 34. Id planum esse videtur, eum primum clarius sensisse, quantopere mens materiei, et ratio sensuum cupiditatibus praestaret; duas certe praecipuas facultates animo adtribuisse. v. *Aristot. Met.* I, 5.

73) In quo *Anaxagoram* cum eo consentientem fecit *Stobaeus* in *Cap. παρὰ σοφ*. c. 51. lib. I. p. 790. *Heer*.

vel auditu, sed omnia mente cerni et intelligi suo more dixit 74). — Quot Nostro cum XENOPHANE Colophonio communia fuerint, alibi declarabitur, nunc id saltem monere liceat, hunc ad vniuersum illud suum νοητον quodammodo iam ita transtulisse νοον, ut ab eius notione quidquid operosi limitatiue esset longius remouendum statueret 75). — PINDARVS repetiit, communem quidem νοον cum Diis esse hominibus, sed illum Iouis sortem regere cuiuslibet 76). AESCHYLII quis est qui grauissimam de summo Ioue eiusque animo ignoret sententiam, eum non modo omnium patrem coelique gubernatorem omnium hominum Deorumque furta notare 77), sed animum etiam gerere quam reliquos Deos seueriorem et magis inflexibilem 78). — — Iam FARMENIDES docuerat Νοον, quamquam multis erroribus expositus occaecatione feratur 79), tamen nihil aliud esse, quam aptam institutionem corporum et vniuersi orbis, qui totus mente repletus sit, vnde etiam factum, ut νοον a ψυχη nihil differre putaret 80). In quo vltimo memorabile est Anaxagorae aequales, Democritum, qui tamen Νοον veritatem cognoscendi Vim dixerat 81), et Empedoclem consensisse. Quam vtriusque rei commistionem in Nostro etiam vituperavit Aristoteles maxime hanc ob causam, quod ὁ κατὰ Φρουνισιν λεγομενος νοος in paucas tantum res creatas cadat. Sed vbi hoc Anaxagoras commisisse dicitur, videtur vel illorum vocabulorum alio quodam significatu vsus esse, vel ea certo tantum modo commutasse. Quamquam enim νοου et ψυχης notiones magis iam definitae ac discretae essent, tamen, qui vtrique communis erat, significatus, saepius adhuc vsurpabatur, et ipsam philosophum oportebat, voce, quae integram contineret notionem animi, qualem nos eam cogitamus, quamque vocabulum ψυχης tunc temporis neutiquam comprehenderet, nondum reperta, vsum loquendi seruare Homericum. Sed etiamsi, quatenus νοον a ψυχη distinxerit Anaxagoras, non satis clarum esset, tamen eum

74) Νους ὄρα καὶ Νους ἀκούει, τὰ δ' ἄλλα πάντα κωφαὶ καὶ τυφλοί. v. Olymp. ad Plat. Phaed. c. 10. et Davis. ad Cic. Q. T. I, 20.

75) Sic in fragm. 4. in Fülleborn. Ed. Οὐλος ὄρα, οὐλος δὲ νοεῖ, οὐλος δὲ τ' ἀκούει, et fr. 6. ἀλλ' ἀπαναυθὲς ποιοῖ νοὸ ὅ ὅ φρενεῖ πάντα κραδεύει.

76) V. Nem. 6, 8. Pyth. 5, 164. Idem fere legimus in Theognide v. 202. sq. et 377.

77) In fragm. ap. Stob. I, p. 122.

78) Ἀγραμπτὸν νοον Chorus dicit in Prom. v. 163.

79) Fragm. v. 50. p. 60. ed. Fülleb.

80) V. 143. p. 94. — et p. 102.

81) Aristot. de An. I, 2. Analyt. post. 2, 18. extr. Idem quoque plantis νοον et γυνωσιν tribuit. Ar. de Plaut. I, 1.



emendatiorem rationis humanae notionem animo informatam habuisse colligitur ex eo, quod eum mentem illam summam plane ἀμύγη, nec machinarum modo agentem, nec animam mundi esse voluisse, demonstrari possit, quodque vim veritatis cognoscendae, a sensibus prorsus abiudicatam, vni intellectui vindicaverit 82).

Quibus secundum Anaxagorae ipsius mentem propositis, restat, vt iam altera quaestionis nostrae parte, quae externos fontes vnice comprehendet, quaeramus, vtrum sua Clazomenium dogmata omnia, an eorum tantummodo partem aliunde hausisse, numque vel populorum exterorum vel religionis publicae vel philosophorum priorum decretis et inuentis vsus esse dici possit. — Quod ad commorationem eius in peregrinis terris attinet, constat quidem e Valerio Maximo 83), eum e diuturna peregrinatione in patriam reducem factum esse, sed quam ille peregrinationem intellexerit, non satis liquet. — Primus, quantum nouimus, Theodoretus 84) fuit, qui eum ad ΑΕΓΥΠΤΙΟΡΥΜ sapientes γυνώσκεις περι του οντος adcuratius addiscendae caussa profectum esse tradiderit, quem deinde Procopius 85), Ammianus Marcellinus 86), Georgius Cedrenus 87), Morerius adeoque Valkenarius 88) sequuti sunt. Vti Morerium iam Baylius refutauit, ita hoc iter Meinersius etiam 89) negauit. Licetne coniecturam interponere? Nili incrementum declarasse dicitur Anaxagoras, atque a niue in Aethiopiae montibus liquescente deri-vasse 90). Ea ipsa vero quaestio videtur illa aerate multum agitata fuisse, vnde Noster quoque de eadem dicere poterat, si vel maxime Aegypti naturam audiendo tantum cognouisset 91). At Vnius Dei cogitationem apud Aegyptios vel omnino

82) V. Sext. a. M. I. 7. 7. 90. P. H. I. 13. Arist. Met. I. 5. Cic. Ac. I. 13. 2. 23. 31. De eius adeo fonte et sede cogitauerat secundum Censoriu. de die nat. c. 6.

83) L. 8. c. 7. Diog. ἀπεστη simpliciter dixit.

84) Graec. Affection. curat. Disp. L. 2. p. 733. T. 4. ed. Schulz.

85) In lib. 3. Regum p. 185.

86) L. 22. C. 16.

87) Synops. Historiar. T. I. p. 94. B.

88) Diatr. laud. p. 54. a.

89) Hist. de U. V. D. p. 59. coll. 52.

90) Δια την τηειν του χιονος πληθειν, Diod. Sic. I. 38. p. 46. Wess. Schol. ad Apoll. Rh. 4. 269. Cf. Eurip. Archelai Fr. 2. p. 428. T. II. Strabo p. 221, et 371. ed. 1660. et Lucan. X. 220.

91) Sic Aeschylus et Sophocles. Democritus Diogenesque Apolloniates de eodem argumento quaesinerunt. v. Sch. Ap. I. I.

regnauisse 92), vel sacerdotum ordini propriam fuisse 93), vel castigatorem de auctore omnium rerum notionem antiquitus Aegyptiis nondum ad Isidis et Osiris cultum delapsis, communem postea perisse 94), nequaquam in illis de Aegyptiorum sapientia veterum recentiorumque commentis demonstrari posse, quis quaeso est qui nesciat? Profecto, qualem Noster cogitavit, talis tantisque virtutibus excellens mundi caussa in illorum astronomico cyclo nusquam diserte commemoratur.

Nec defuerunt, qui, quae Anaxagorae habeatur dicaturque sententia, eandem in antiquissima Cosmogonia, Genesi praefixa, reperiri contenderent. Omnibus praeiuit magnus ille gentis suae, eiusque sapientiae admirator, Iosephus, qui tamen uniuerse tantum dicit 95), Mo sen Anaxagorae aliisque philosophis τας ἀρχας παραχρησιν. Disertius hoc tradidit Theodoretus loco laudato, quem deinde Palmerius 96) sequutus est. Sententiam vero de corpusculis ab HEBRAEIS accepisse, statuit Edm. Dickinson 97), et doctrinae in V. T. explicitae cognitionem quandam habuisse, Batteux 98) tradidit. Sed quum, praeter Phoeniciae aut Persicae linguae elementa, Graeci nullam orientalium linguarum cognitam habuisse reperiantur, neque ex hebraicis monumentis ipsis non adeo diuulgatis, neque e graeca aliqua eorundem versione, tum nondum tentata, haurire sua poterat Anaxagoras. Atque si vel maxime in antiquissima illa de mundi opificio narratione terrae coelorumque auctor egregie ac magnifice descriptus sit, Nostri tamen indagationem ab elementis longe aliis profectam esse, manifestum est. Quod si quis eorum numero se addiderit, qui in antiquissimis illis sacrisque Iudaeorum libris nisi, qui sensim mundum exstruxerit, opificem, vel qui vni tantum loco populoque praesit, Deum reperiri negant 99), is multo etiam

92) Cudworthi, Jablonski, Plessingii pertinent huc sententiae.

93) V. Schilleri *Sendung Moßis, in den vern. Schr.* p. 16. sq.

94) *Venturini Ideen* p. 35. sq.

95) C. App. 2, 16. p. 1260. Vol. 3. Oberth.

96) In Exercc. in opt. auct. gr. Lugd. B. 1668. p. 451. Piget Huetii adferre vaniloquia, qui e Mose Linum iam hausisse adeoque ipsum Mosen fuisse tradidit v. Praep. Ev.

97) *Physica vet. et vera.* p. 14. et 34. ed. I. Lond. 1702. 4.

98) P. 242. vers. Hissmanni., *Magaz. f. d. Philos.* T. 3.

99) Ita in Ruperti Comm. in *Vestisens Mag. Bd. 1. S. 262.*, etsi ipse V. D. non satis sibi constare videtur cf. p. 251. Lindemannii inconstantibus extricandis nolo morari lectores v. El. *Gesrh. d. Mein.* 2, 206. 4, 274. coll. 6, 80. sq.

minus ad opinandum inclinabit, sua illi populo graecum philosophum debuisse 100).

Apud Astrologos illos CHALDAEOS etsi nunc omnes concedant, Berosi Belum seu solem, et Diodori *ἑσταν τινα προνοίαν*, et Delphici Pseudo-oraculi *γενεθλιον ἀνακτα θεον* non idem valuisse, tamen etiam ab his dogma illud Nostri de mente, commotionis caussa, deriuandum censuit Eugubinus \*\*1). — Omnino autem quantacunque sit de Orientalium populorum religionibus opinio, haec nunc quidem post Meinersii curas paene regnare videtur sententia, in gentibus illis Asiam Africamque incolentibus emendatam, claram ac diuulgatam summi rerum auctoris cognitionem, antiquissimis certe temporibus nequaquam reperiri 2).

Veterum GRAECORUM religio etsi non in fidei quandam formulam redacta erat, ea tamen viri sapientes seniorum temporum saepe vel inscii tenebantur. A Pelasgis constat multa eorum, quae in rerum natura vel ad horrorem excitandum apposita, vel abditis causis effecta essent, in Deorum numero habita, personarum cultu a vatibus exornata, et variis Deorum virtutibus nominibusque insignita esse. Plures deinde Dii ex Oriente in Graeciam illati sunt, sed omnium princeps ac summus IYΠITEP tandem constitutus, regnoque auctus est 3). Quem si in religione Pelasgica apud Dodonaeos naturam ipsam, in Orphica superiorem aërem significasse, in Homero autem personam potius diuinam fuisse concedatur, sunt tamen vel in his ipsis attributa, quae eam rerum naturae viribus effectarum auctorem faciunt. Habetur enim diciturque *νεφεληγετης, κελαινεφης, τερπικραυρος* et *ὑψιβρεμετης* 4), item non hominum modo, verum etiam Deorum pater, atque interdum simpliciter *πατηρ Ζεῦς* 5): quin etiam, imagine a vetustiori ciui-

100) Ipse Origenes c. Cels. 4. 30. p. 524.

Ruaei: *Φιλαληθως περι τινων μαρτυρουμεν Ἑλληνων φιλοσοφων, ὅτι ἐπεγνωσαν τον θεον*, additis Pauli verbis ex Ep. ad R. I. 19. 21.

\*\* 1) De perenni philosophia I. 4. 10. 12.

2) An vero noster a PERSIS quaedam mutuatus sit, ad istam quaestionem gravio-rem illam, quam quae hoc loco pertractari possit, alio tempore accedemus.

3) Arist. Met. 14. 4. Polit. I. 8. et Bibl.

crit. Amst. 2. 87.

4) Tonantis notionem non ex Oriente illatam esse, bene animaduertit Reinhardus in praeclaro libello *Gesch. der relig. Ideen* I. p. 185. Addi potest e Pausania (I. p. 108. 11. 179.) traditio, sacra Iovi Aeaci tempore primum facta eum mouisse, ut, quam petivissent, ab eo Graeci, pluniam, mitteret.

5) II. I. 544. Simpliciter; 4. 235 etc. Apud Scythas *παπαρος* v. Her. 4. 59. et 3. 89.

tatum constitutione petita, reliquorum, qui se ei subicere coacti sunt 6), *Ζεῦν βασιλευς*, imperator 7), potentissimusque 8) adeoque dispensator fatorum 9) appellatur. Quibuscum si ea coniungantur, quae supra in *νοῦν* potestate finienda monuimus, notio Vnius Dei in Homero non illa quidem aperietur cum Woodio 10), tamen ad eam nostrum philosophum ab Homero duci potuisse, hoc sibi quisque facile persuaderi patietur 11). Neque solum pluribus, qui habentur, Diis summus DEVS non repugnat, verum etiam eum esse credi tanto facilius poterat Anaxagorae aetate, quod tunc Empedoclem etiam motum esse constat, ut doctrinae de Daemonibus, quos bono sensu dixerat Hesiodus, nouam inauditamque definitionem adderet. Et religio vulgaris quamuis coniunctissimam cum Ioue esse vellet Deam omnis prudentiae, MINERVAM, tamen eiusdem cultores studiosissimi, Athenienses suam erga Iouem *πανελληνιον* reuerentiam profitebantur 12). Vti igitur Nostro plures naturae vires arctius iterum cum mundo coniungendae, inque vniam eamque superiorem colligendae videbantur: ita eandem nominatim etiam IOVIS summi potestate et prudentia augendam censebat. Sed tamen Iouem illum constat in religione antiquiori plerumque theologico tantum sensu, primum summumque usurpari, i. e. eum, vnde omnia bona expectanda et expetenda sint, quum, qui solo omnium rerum auctorem vltimum cognoscendi studio ferebantur, alias potius causas amplecterentur 13). E quibus maxime eminebat in antiquis quibusdam Theogniis *Ἐρως* ille *πρᾶσβυτατος*, qui iam Aristoteli 14) et Sexto ansam praebuit opinandi, Hesiodum quaesivisse *ἀλτιαν κινησῶν*. Diligentius re perpensa intelligitur, ex primi illo *ΛΟΡΕ* non principium proprie dictum, sed tantummodo studium copulandi miscendique corpora, quod ipsum e materiae mole, quod Chaos appellant, profectum cecinit Hesiodus 15), adeoque nihil nisi legem quandam naturae significari, quae, cur in summa illa elementorum commotione, quae tum ipsa iam fieri coepta esset, coeco quodam impetu sibi quaeque

6) Il. 15, 104 sq. 8, 7. sq.

7) Od. 24, 473. Hes. Th. 47, etc.

8) Il. 9, 17: 19, 96, etc.

9) Il. 22; 239. coll. 8, 69.

10) *Original Genie Homers* p. 156.

11) Bardiffum l. I. p. 37. in hoc ipso mecum consentientem habeo.

12) Thucyd. L. 9, C. 7.

13) Intelligentes admodum de his iudicavit REINHARDVS l. I. p. 191.

14) Met. I, 4. et 6. cf. Simpl. p. 258, a.

15) Hausi hanc sententiam ex Ibyco ap. Schol. Apoll. 3, 26. coll. eod. interpr. ad I, 498.

similia iungerentur, caussa esset 16). Utriusque et Iouis et Amoris notiones in philosophi nostri Cosmophysice cum doctrina de modo, quo res e chaos sinu procederint, ita coniunctae reperiuntur, vix illa omnia efficiens caussa non arctius cura mundo ipso, id quod Xenophanes volebat, copularetur, sed potius ab eo separaretur, et maxima caussae illius vis in intelligentia poneretur. E mythorum autem fontibus dogmata quaedam insignia hausisse Anaxagoram, ipsorum veterum nonnullis visum est. Sic ex LINI cosmogoniae verbis *ἔμου πάντα* primariam nostri sententiam arreptam esse 17): sed Baylius iam recte vidit, chaos quidem Clazomenium e mythorum penu acceptum servasse, ibi vero res in rudem molem accumulatas nulla vi praestantiore digeri. Ex Homeri illa fabula de PROTEO, eiusque filia Eidothea veteres putabant non potius hoc depromptum, quod praeterita, praesentia et futura, vti Proteus ille, sic fere etiam mens Anaxagorea cognita haberet, quam duplex illud agens patiensque sumtum esse principium, praesertim ex iis, vbi Proteus *πρωτος και αρχιμωματος* fuisse dicitur 18). — Quod in ORPHICIS hymnis et fragmentis *ἄνω πατρῶος* Iouis summi, eiusdemque vnus patris atque naturae Dei mentio occurrit 19), quin hoc senioribus vel initiatorum, vel sacerdotum, quibus ipse Noster facem praetulerat, studiis cum religione populari digniora philosophorum decreta coniungendi, debeat, vix potest dubitari. — Eadem plane MYSTERICORVM videtur esse ratio, quibus et ipsis inter recentiores, vel Warburtonum, vel Plessingium, vel adeo Meinersium 20) vnus Dei cognitionem tribuere non poenituit. Quid? quod Themistius 21) *Νεω* commemorat, qui loco caliginis, quae antea omnia repleuerat, maiore venustatis splendore, quam qui verbis exprimi possit, decoratus initiandis offeratur appareatque. At hoc ille quidem credit nihil aliud, nisi absconditum Aristotelis scriptorum sensum institutionis opera in lucem protrahendum esse, allegorice significari. Meinersius 22) etiam vniuerse iam observauit, non ante Platonis tempora vulgaris religio-

16) V. Viri Summi HEYNI nobilissimam de Theogonia Hesiodica Comment. p. 138.

17) Diog. in Prooem. §. 4. Cf. Cel. Heeren. p. 250. in Stob., et fragm. ap. Stob. I, 11. p. 278. sq.

18) Fieri id demum allegorica Homeri (Od. 4. 365. sq.) interpretatione poterat a Sexto adv. Math. 9, 4. 549). Caeterum et illa Anaxagorae de Sole sententia ad antiquissima tempora Tanta li referabatur. v. Diog.

2, 8. Eustath. in Od. 11. p. 257. Schol. Pindari l. l.

19) V. Fr. 38. 39. et 4. ed. Gesn. coll. Meinersii Hist. de u. v. D. 199. 203. et Vossium *Mythol. Br.* 2. p. 281.

20) *Verm. Schriften* 3, 294-303.

21) Or. 20, p. 234. 235. Ed. Hard.

22) Hist. de V. D. p. 217. et 218. in nota

nis fabularumque vana de Diis commenta in arcanis illis sacris aperta esse. Ne- gamus igitur Nostrum quidquam inde hausisse, neque veterum quisquam hoc un- quam dixit, neque ei ullam rem ex iis efferre magis, quam Aeschylō, per Eumol- pidarum familiam licuisset. Vel ex his apparere arbitror, tum neque totis Athe- nis neque inter *ἑσπετιὰς* meliores de vno Deo sententias inualuisse 23). Quibus praemissis, ad primos philosophos *ἰοντίους* illos nobis patefacta via est, quorum cuiusque quid Noster singulis sententiis, in primis vero Theologiae 24) debuerit, numque in iis sit, qui doctrinae de vno Deo primum repertae gloriam, Anaxagorae praeripiat, diligentius iam inquirendum est. Ex tribus illis Milesiis, in primis *THALES* considerandus, et primum ab eo factum cosmophysicae argu- mentis certis firmatae periculum altiori indagine explorandum videtur, quum e- recentioribus magni nominis viri exstiterint, qui ei rectam vnius Dei cognitionem vindicare studerent 25). In rerum origine explicanda profectum ab antiquiorum sumtionibus et naturae rerum obseruationibus, ad primum aliquod rerum ele- mentum, Aquam 26), ductum fuisse Thaletem, extra omnem dubitationem est positum. Sed quaeiam attributa huic primo elemento ipse adscripserit, et qui- bus illud limitibus finiuerit, in tanta antiquitate certius explicari non potest, quam Aristotelis haud contemnenda auctoritate. Is vero principi illi Thaletis caussae nullo vnquam loco *νεω* adiungit, sed eam tantummodo fuisse *κινητικὸν τι*, quod vi agendi, et vitam formamque largiendi polleret, siue, ex Graecorum vsu loquen-

coll. Tennemannii V. C. *Meinungen der Sokrat.* § 23. cap. 66.

23) Quare doctrinam de vno Deo plurium- que Deorum origine iam ante Periclis tem- pora in Mysteriis clariore luce circumfusam esse, quod nuper in Hartmanni libro (*Versuch u. Culturgesch. v. Griechenland. Lemgo, 1796, I, 530.*) repetitum est, mihi quidem persuadere nondum potui.

24) Si quae usquam, certe in Theolo- gia Veterum Graecorum, quae dicitur, recte cognoscenda, et ex cuiuslibet aetatis ingenio sine cupiditate expendenda, opus est maxima cautio, et firmissima veritate, fontium stu- dio accuratissimo, testimoniorum diuersorum discretionem et notionum cognatarum definitio- ne exactissima. Quae quidem in historia

illius Theologiae vt multa alia etiamnum in votis habentur.

25) V. post antiquiores et Parckerum (D. de Deo I, 5.) BARDILLI libell. saepius laud, p. 37. 38., qui adeo incertum esse dicit, quam longe rationem, mundi ornati caussam, ab ipso mundo seiunctam Th. voluerit, TIEDE- NANNUM in antiquiori opere (*Griechenl. erste Philosophen.* p. 138. 145. 146.) et illustre PLAT- NERI Aphorism. philos. Vol. I. p. 547. sq. ed. rec.

26) In quo ipso eum cum reliquis illis sex, qui Sapientes usurpantur, consensisse (v. Cic. Ac. Q. 4, 36. extr.) adeoque Homeri (Il. 13, 201. 302. secundum Aristot. Met. I, 3., et Il. 7, 99. secundum Schol. Apoll. L. 498.) sequen- tum esse vestigia Veteres voluerunt.

di; ψυχῆ instructum esset, significat 27). Hinc temere et coeelo impetu se exer-  
vit illa caussa, adeoque recte indicavit Aristoteles, Thaletis materiam, propriis  
suis et insitis viribus agitatum, in mundam se sine consilio efformasse. Quodsi  
vel mundi vim mouentem statuerit 28), omnia porro, quae cernuntur, Deorum  
sive Daemonum plena dixerit 29), quae anima mundi deinde et ab aetate inferiori-  
bus 30) dicta est, hanc sibi Milesium tam clare cogitasse, quam seniores, mihi  
persuadere nequeo 31). Hoc vero facile apparere arbitror, Thaletem vim illam  
ipsam et cum materia eiusque virtutibus arctissime coniunctam statuisse, et ob  
praestantiam virium physicarum ex vulgi sermone ac sententia prope diuinam  
cogitasse. Vix tamen multis ad probandum eget verbis, Ionium hunc in sua Cos-  
mophysice de DEO neque cogitasse, neque adeo cogitare voluisse, quum Graecis  
ipsis, qui tum erat, eum naturae esse auctorem, ne leuissima quidem suborta  
esset suspicio. Neque igitur nobis ex nostra de Summo Numine sententia in eius  
doctrina Deum, a nobis illatum, quaerere licuerit, praesertim si meminerimus, in  
quam diuersas partes vexatissimi illius loci Ciceroniani 32), quo Thales Deum  
dixisse fertur „eam Mentem, quae ex aqua cuncta finxerit“, interpretes discesse-  
rint. De quo loco si sanus sit 33), sic habendum videtur, vt Ciceronem ipsum  
vel e superiore minusque limpido fonte hausisse, vel veterem Ionicae philosophiae  
sermonem prave intellexisse 34), atque vocabulis usum esse graeca, quae fortasse  
conuerterat, parum commode exprimentibus 35), vel Epicureum illum Velleium,  
hominem loquacem, ignorantem, et omnia peruerentem, malum etiam Thaletis

27) Tribus vixce attributis hanc primam  
materiam insigniuit ψυχη, αὐτοθεσία, et  
ἀσωματό in loco de An. I, 2.

28) Quod ipsa huius iudicii (v. Tiede-  
mannum l. I, 1, 47) certa testimonia desi-  
perantur; rectius dixeris, illam vim post  
mutatam demum aquam existisse, seque ex-  
seruisse, certe vim illam mouentem ex ipsa  
tantum aqua natura prodixisse.

29) Aristot. l. I, et c. 5. ψυχῶν ἐμπλεῶν.  
Diog. I, 24.

30) Diog. I, 27. Plat. Conv. Sap. 219.

31) Vnde paulo aliter statuendum esse cen-  
seo de Ciceronis loco ac nuper V. Cl. Kri-  
der vater fecit, qui (ed. suae L. de Nat. D.  
p. 29. 30), tan vis illa mouens eum quadam

ratiōne se exseruerit, necne, dubium esse  
contenderet. ἢ οὐκ ἂν ἠεὶ ἀποδοῦν ἔμελλεν (Cic.  
32) De Nat. D. L. I, C. 10. ἢ ἀποδοῦν ἔμελλεν

33) De quo iam Baylius *Dict. T. I.* p. 279;  
et Tiedemann, *Geist d. spec. Ph. I.* 42. dubitarunt.

34) Cf. Canaye ap. Hissmannum *Magazin*  
I, 330. ἢ ἄλλοι μὲν τὴν αὐτὴν ψυχὴν ἔλεγον

35) Ψυχῆς vocabulo forsā adiuncta erat  
vox νοσμός, quod, vt credamus, suadet Sto-  
baei locus (Ecl. I, p. 54, et rectius sentien-  
te Clem. Al. Str. 2, p. 364. coll. Cyrill. c. Jul.  
I, 4), vbi Thales νοσῶν τὴν νοσμον θεῶν  
dixisse traditur; quamquam eum νοσμοκρί-  
των vocasse, inde non sequitur, quod init.  
Elog. eiusdem Stobaei Anaxagorae tantum  
tribuitur.

interpretem fecisse 36), vel alium quidquam dicere voluisse, noua huius loci interpretatione eruendum, statuamus. Sed penes lectorem integrum sit huius rei iudicium, nobis satis erat monuisse, vocabula  $\psi\upsilon\chi\eta$  et  $\nu\omicron\upsilon\varsigma$  aliquando, etsi non ab initio, promiscue a Graecis usurpata esse, quod idem de Mente et Animo Romanorum valere videtur. Mentem primum proprieque omnino de vi limitata, agili, et animante dictum esse 37), vel eo doceri posse puto, quod eam Cicero ipse eodem loco cum sensu coniunxerit, et paulo post 38) de animo idem dixerit. Cum hac agente et ex elementorum mole omnia formante vi verbum etiam fingere congruit 39). Quin secum ipse Cicero pugnaret eodem loco, ubi Anaxagoram PRIMVM fuisse dicit, qui infinitae Mentis vi et ratione omnium rerum descriptionem voluerit designari atque confici: quod idem aliorum scriptorum communi et constanti consensu et testium quasi nube confirmari posset 40). Neque igitur apophtegmatibus quibusdam, a senioribus Thaleti tributis, fides habenda 41), multo vero minus putandum, Thaletem id, de quo nunc agitur, vel data opera reticuisse, neque nisi cum intimis amicis communicasse, quum contra Anaxagoras idem palam dicere non dubitaret 42), vel nemini ignotum esse credidisse 43). Denique cauendum nobis arbitror, ne Ciceronis sententiam, si vel maxime clara esset, nostram facere audeamus, quum nostra numinis diuini notio multo castior exactiorque sit. Quid? quod et modi, quo ingenium humanum ad altiora subinde euolarit, et temporis, quo Thales floruerit, rationem ducentes, ibi, quam Anaxagoras habebat, notionem perfectiorem non quaeremus 44).

Alter etiam ille Milesiae scholae adscriptus in iis erat, ad quorum sententias quasdam Nostrum antiquiores rediisse vellent. Iam auctore Theophrasto, Anaxagorae decreta adcuratissime perscrutato, id ab ANAXIMANDRO acceperat, quod res cognatas se inuicem attingere et consociare 45), quodque non mutatione causae primariae, sed secretione contrariorum per commotionem, quam tamen non aeternam cum Anaximandro habebat, effecta, mundum ortum esse docebat. Hegesibuli autem filio Thaletis ille successor inprimis in hoc egregie praeluxit, quod in-

36) Hoc Meinersius urgebat in Hist. de U. V. D. p. 257.

37) Sic etiam  $\mu\epsilon\upsilon\omicron\varsigma$  olim animum vehementibus affectionibus, v. c. ira commotum, indicauit.

38) C. 12. extr. „Animum Deum dicere.“ cf. Cic. Mil. 31. Vidit post Meinersium in Hist. I. I. 257, Gedickum in H. Ph. Cic. p. 40. nota, et Eberhardum in Hist. Ph. p. 52. §. 47., adcuratus Ciceroniani loci interpretes anonymus Krit. Briefe üb. einige Gegenstände d. alt. Literatur. Leipzig, 1790. p. 154-158.)

39) In quo quidem verbo non haerebimus, quod in Cicerone saepius, v. c. de natura, ad honestatem fingente (p. Mar. 29.) vel de fortuna se ad cuiusque mores fingente (Parad. 5, 1.), legi consuet.

40) Cf. Baylius Art. *Anax.* n. D. et F.

41) v. Clem. Al., Diog., Stob., quae iam Meiners (Hist. I. p. 252. *Gesch. d. Wiss.* I, 152.) spuria indicauit.

42) Ita Lescalopier ap. Baylium.

43) Thomassinus *Methode d' etud.* I. Ph. I, 14.

44) Sequamur Aristotelis et modestissimi et a cupiditate alienissimi iudicium (Met. I, 3.), qui Ionibus prioribus negat iam licuisse, a superiori aliqua causa naturae ordinem (si quem eius agnouerant) deriuare. Hinc etiam ingenue priorem suam sententiam mutauit Tiedemannus (*Geist* etc. I, 41. 54.). Mecum paene eiusdem sententiae sunt Flatt (de Theismo Thal.) et Goes. I. 1.

45) V. Theophr. ap. Simpl. in Phys. I, 6. b.



finitatem quandam naturae docuerat, principiumque suum ὁ περιέχει πάντας τοὺς οὐρανούς καὶ κίβερνα πάντα, primus infiniti nomine insigniuerat, idemque illud et ob aeternitatem θεῖον dixerat, quamquam et ipsum materiae arctius iunctum 46). — Quod deinde principium magis etiam definitum est, quum ANAXIMENES aëra illud nominaret, qui omnes induere posset formas, et inde infinitum suum aëra nostrum Clazomenium repetiisse in aprico est. Atque veterum nonnullorum opiniononi, praeceptorem Nostri fuisse Anaximenem, etiamsi hoc aliquid probabilitatis adderet, quod ille huius dogmata fando certe audire poterit, tamen inde profecto parum, quod ipsi prodesset, sumere potuit 47).

Denique est etiam ΗΕΡΜΟΤΙΜΟΥ ille celeberrimus hoc maxime loco memorandus quippe qui, ex eadem cum Nostro ciuitate oriundus, notissimo Aristotelis loco 48) grauissimae, quae Anaxagorae vindicari solet, sententiae auctor dicitur. At saepius mirati sumus, quid esset, cur huius non leuis rei traditio Bruckeri non modo diligentiam fugeret, verum omnes etiam de Hermotimo Clazomenio narrationes a recentioribus adeo negligenterentur, vt, qui eas critico examini subiiceret, eorum nemo reperiretur. Itaque animum induximus hanc in rem paulo seuerius inquirere, consilium tamen nostrum propter huius libelli angustias alio loco explicabimus 49). Hic quidem sufficiat monuisse, narrationes de prima illa Hermotimi inventione 50) ab vno omnes pendere testimonio, quod si vel maxime genuinum, certum atque clarum dici posset, tamen eundem Anaxagorae praeceptorem fuisse, non conficeret.

Quae omnia ab Anaxagora intento animo obseruata arctiusque inuicem copulata, etsi lubentissime concedo, non parum ad ea, quae quaereret, aperienda fecisse 51), idem tamen a me impetrare non possum, vt eum nihil suopecte ingenio inuenisse, nihilque sibi proprium habuisse largiar. Quodsi quae animum eius tantum finxerint ac praepararint ab iis, quae in ipso argumento tractando ei subnatae oblatæque sint, cogitationibus separamus, parum profecto abesse viderur, quin, quemadmodum ad praestantiorum subinde Dei cognitionem adscenderit, sic oratione possimus distinguere. Quamquam et multis, quae ad certiorum definitionem neces-

46) Simpl. l. 1. p. 107. a. extr.

47) Animus quidem erat etiam de Italicis philosophis inprimis de XENOPHANE, nonnulla hoc loco disserere; sed quominus animo nunc obtemporarem, angustioribus huius libelli, quibus teneor, cancellis impediabar.

48) Φανερός μὲν οὖν Ἀναξαγόραν ἴσμεν ἀφανέων τεύτων τῶν λογικῶν. Αἰτίου δ' ἔχει πρότερον ἙΡΜΟΤΙΜΟΣ ὁ Κλαζομένιος σίτην. Metaph. I, 3.

49) Ibi vnde illae narrationes de doctrina eius et moribus subnatae prodierint, et quid earum quaeque ad fidem grauitatis habeat, si non plane aperire, certe significare tentabimus. Quos haec legere iuuat, hi, quid sentiam, argumentis uberius expositis declarā-

tum reperient in Füllebornii, V. C., collectionis: Beiträge zur Gesch. der Philosophie, fasciculo propediem edendo.

50) Sextus adv. M. 9, 7. ALEXANDER Aphrod. ad Met. l. 1. p. 14. et ap. Simpl. in Phys. Ansc. VIII, p. 321. a. PHILOPONUS in Arist. Met. l. 1. p. 2. b. et ELIAS Cretensis ad Greg. Naz.

51) Alii etiam laudari poterant fontes, quos nobis vel in forma et institutione, quae tum erat, rerum publicarum, inprimis atticae, vel in cultura et monumentis, quibus disciplinae artesque illius aetatis gaudebant, deprehendisse videmur. Sed nos satis nunc quidem et consilium nostrum explicauisse, et lectoris patientia vsos esse, existimamus.

saria sint, destituti, et probe scientes, magnas saepe et praeclaras cogitationes in primis in viris eximiiis tam repentino animi nisu nasci, vt prope a diuino quodam genio possint concessae videri, ab huius rei periculo, ne quam temeritatis et arrogantiae inuidiam subeamus, nunc quidem abstinendum arbitramur. Meliores vero de summo numine sententias ei Graecorum aetati acceptas referri, quae illi, haud ita pridem libertate a Persarum iugo defensa atque stabilita, nec multum ante et artium colendarum, et religionis a vulgi superstitione, nunc primum quidem aperiri oppugnarique coepta, sed ab Atheniensibus in primis in tutelam recepta et religiose seruata purgandae, facto initio, ea ipsa Anaxagorae inuentione, quae morum integritatem, in dies magis inclinantem, fulcire potuisset, offensi primum persecutionis, in philosophum intentae, exemplum ediderint, quod deinde posterius sequuti Socratem illum, qui mundi gubernatorem omnibus instructum virtutibus docuisset, ad mortem adigerent, id sane, quod animaduertatur cognoscaturque, haud indignum esse videtur. Praeterea quin vel rerum illarum grauioris momenti, quas Anaxagoras cogitando copularit, vel caussarum, quae ad doctrinam tam insignem inueniendam fecerint, vel eorum, quae illa postea effecerit, fusior exactiorque explicatio maximae ad fructum sit vtilitatis, non illud quidem in dubitationem venit, sed, quum huius libelli arctioribus limitibus circumscriptus sit, in his, quae dicta sunt, adquiescendum videtur.


Etenim, quaecumque in hoc libello scripta sunt, haec eo tantum valere velim, vt mihi sensus animi, in pectoris angustiis diu aegre inclusos, verbis exprimendi palamque testandi laetissimam parent opportunitatem. Adest enim dies exoptatissimus, quo, quid et Serenissimi Electoris FRIDERICI AVGVSTI, clementiae, cui amplissimum Philosophiae in alma hac Litterarum Vniuersitate publice docendae munus in me conferri placuerit, et Summorum Virorum, qui me perpetua prosequuti sunt beneuolentia, honorifico de me iudicio debeam, publice licet praedicare. Sed quum hoc quidquam mihi optabilius ne cogitari quidem possit, quam vt votorum meorum nuncupandorum, gratique animi declarandi testes habeam quam plurimos ac clarissimos, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, PRINCIPEM CELSISSIMVM, COMITES ILLUSTRISSIMOS, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMOS AC COMMILITONES HUMANISSIMOS omni, quae eorum quemque par est, reuerentia rogatos habeo, vt frequentes fauentesque adesse velint die XXI. m. Junii hora IX. in loco solemniori, ubi, inesse quaedam in aetatis nostrae ingenio ac conditione, quae Historiam Philosophiae cognoscendi studium quum maxime commendat, ostendere conabor. Cui orationi si quid splendoris Vestrae praesentiae lumen adulerit, insigni me beneficio a Vobis adfectum parabo P. P. in Academia Lipsiensi, Dominica I. p. Fest. Trin. Anno p. C. N. c1800CLXXXVII.

Litteris Tauchnitzianis.

36  $\frac{18}{h, 28}$

X2254452





AB 36  $\frac{18}{h, 28}$  6. g.

# ORATIONEM ADITIALEM

A. D. XXI. M. IVN. CIOIOCCXCIVIL

n. l. q. c.

RECITANDAM

OBSERVANTISSIME INDICIT

FRIDERICVS AVGVSTVS CARVS

PHILOSOPHIAE D. ET PROFESSOR PVBL. EXTRAORD.

*Anaxagoreae Cosmo-theologiae indagantur*  
Fontes